[illegible]

PROLEGOMENA IN SALLUSTIUM

SCRIPSIT

AXEL W. AHLBERG

GÖTEBORG 1911
WALD. ZACHRISSONS BOKTRYCKERI A.-B.

Inlämnad den 14 november 1910.

Praefatio.

Hunc librum scribenti ante omnia mihi uisum est qua sint cognatione codices coniuncti quaeque sit ratio 'mutilorum' et 'integrorum' illustrare. Ad quas res perficiendas si quis me necessario plura exempla adtulisse existimat, melius putaui esse plura quam minora reddere, id quoque spectans, ut, si quis operam daret libris Sallustianis adhuc non percussis, ei uia facilior esset et expeditior. Et spero hac disputatione cognationem codicum Sallustianorum ualde intricatam me aliquid explicasse.

Qui libri in 'lacuna', quae uocatur, Iugurthae (capp. 103.2—112.3) recensenda adhiberi debeant, non inquisiui, ea potissimum re adductus, quod Maurenbrecher de hac re ante breue tempus et optime et copiosissime disputauit; quocum si non in omnibus attamen in plurimis consentio. Neque huius partis recensio — id quod ex hac disputatione satis credo elucere — quidquam cum reliquis partibus cohaeret sed suo nititur fundamento.

Sigla codicum, quoad fieri potuit, eadem quae Dietsch, Iordan, alii adhibuerunt, seruaui. Itaque siglis P^2 et M^2 non minus quam P^1 et M^1 alii codices, non aliae manus codicum discernuntur. Quamquam perbene scio numeris ad litteras ita additis manus correctrices uel recentiores ab editoribus nunc uulgo distingui, tamen sigla plurimorum codicum ueritus sum mutare. Vestigia Dietschi premens maiusculis mutilos, integros minusculis significaui.

Denique mihi est pergratum iis, quorum opera usus sum, gratias agere maximas. Et imprimis plurimum debeo Praepositis Bibliothecarum Parisinae, Monacensis, Guelferbytanae, Basileensis, qui codices Sallustianos ad meum usum in Bibliothecam Uniuersitatis Lundensis benigne miserint et liberaliter.

Scribebam Vexioniae Id. Mai. MCMXI.

Conspectus notarum et abbreuiationum.

1. Codices m u t i l i.

Π	P	= cod.	Parisinus 16024
	P^1	= cod.	Parisinus 16025
Σ	P^2	= cod.	Parisinus 6085
	B	= cod.	Basileensis A. N. IV. 11
	P^4	= cod.	Parisinus 5748

X = consensus codicum Π et Σ.

Z	N	= cod.	Palatinus 889, olim Nazarianus
	K	= cod.	Palatinus 887, olim Kemnati
	G	= cod.	Guelferbytanus 68, 16
	H	= cod.	Berolinensis 205, olim Philippicus 1902
Γ	M^2	= cod.	Monacensis 4559
	T	= cod.	Turicensis bibl. reip. C 143 a
	D	= cod.	Parisinus 10195.
	M^1	= cod.	Monacensis 19479
	M	= cod.	Monacensis 19472
	F	= cod.	Hauniensis, olim Fabricianus

γ =	consensus codicum	D M^1 M F
γ' =	» »	T et γ
Γ' =	» »	H et Γ
Υ =	» »	Z et Γ

Ω = consensus codicum X et Υ.

---

2. Codices i n t e g r i.

l = cod. Leidensis Voss. lat. 73

s = cod. Lipsiensis sen. rep. I fol. 4.

n = cod. Parisinus 6086

m = cod. Monacensis 14477

e = cod. Einsiedelensis

Ω' = consensus codicum et mutilorum et integrorum.

De siglo Ψ uideas pag. 117 et de Φ pag. 128.

Dietsch, praefatio = Gai Sallusti Crispi Quae supersunt rec. Rud. Dietsch, Vol. I Commentationes pp 1—132 (Lips. 1859).

Maurenbrecher, Jahresbericht = Bericht über die C. Sallustius Crispus betreffende Litteratur 1878—1898 von Dr. B. Maurenbrecher [in Jahresbericht über die Fortschritte der klass. Alterumswissenschaft Bd. 101 (1900) pp 165—248].

Maurenbrecher, Sallustiana = Sallustiana — I. Heft: Die Überlieferung der Jugurthalücke, Festschrift ... von B. Maurenbrecher (Halle 1903).

Wirz, de fide et auctoritate cod. P[1] = De fide atque auctoritate codicis Sall. qui Parisinis in Bibl. Imperiali n. 1576 asseruatur commentatio (Aarau 1867).

Wirz, Lacuna Iug. — C. Sall. Crispi libri qui est de bello Iug. partem extremam ad optimos codices denuo collatos rec. emend. I. Wirz (Zürich 1897).

Reliquos libros suo quemque loco laudaui.

Prolegomena in Sallustium.

Pars I.

PARS I

DE CODICUM RATIONE

Sallusti Catilina et Jugurtha permultis codicibus nobis tradita sunt. Hos codices, qui aetate alius ab alio multum distant — uetustissimi X:mo saeculo, recentissimi in fine XV:mi saeculi scripti sunt — uiri docti praeeunte Dietschio in tria genera diuidere solent.

Primum genus libros complectitur, quos 'mutilos' uulgo nunc uocant, propterea quod in extrema parte Jugurthae lacunam habent maximam, quae a cap. 103.2 incipiens usque ad cap. 112.3 pertinet, ut verba 103.2 *ex omni copia necessariorum* verbis 112.3 *pacem uellet* excipiantur. — In multis horum codicum lacuna recentiore manu expleta est: his nomen 'suppleti' Maurenbrecher indidit.

Secundi generis sunt libri, qui lacunam illam Jugurthae prima manu scriptam seruarunt. Hi libri 'integri' nominantur.

Tertio generi adnumerantur libri iuniores — sunt autem plerique saeculi XV:mi — in quibus pauca enuntiata: C 6.2 *ita breui — facta erat*, J 21.4 *de controuersiis — disceptare*, J 44.6 *neque muniebantur* in libris priorum generum omissa extant.

Accedunt libri quasi incertae indolis, quippe qui, cum ante lacunam Jugurthinam desinant, utrum primo an secundo generi adiudicentur non constet.

Denique in Catilina et Jugurtha recensendis praetermitti non possunt ii pauci libri, qui orationes et epistulas ex omnibus Sallusti operibus excerptas continent.

Id igitur editoris Sallusti erit examinare, primum quae sit cognatio librorum eiusdem generis, ut qui liber librive archetypum optime reddant eruatur, tum quae sit ratio generum, ut quantum in textu recensendo unicuique generi tribuendum sit appareat. Sed mire accidit, quod editores Sallusti hoc munus omnino fere adhuc neglexerunt. Magna sane est multitudo codicum, quos editores alius alium percensuerunt quibusque ad textum stabiliendum usi sunt; at in codicibus adhibendis nulla certa ratione ducti uidentur. Ante Dietschium omnes satis habuerunt lectiones librorum quibus quisque utebatur hic illic adnotare et maiore numero, non ipso pretio

librorum lectiones confirmare. Dietsch uero, qui in magna sua editione, quod esse opus maximi laboris, doctrinae praestantissimae nemo nunc negauerit, non minus quam 40 libros omnium generum aetatumque aut ipse contulit aut per alios conferendos curauit, hanc legem sibi scripsisse profitetur[1], ut nisi sententia obstaret codices uetustissimos sequeretur. Quam legem utinam uere secutus esset, ut hac mole rudi indigestaque librorum, qui siue uetustiores siue recentiores, siue optimi siue pessimi alius super alium aggerantur, non — quod nunc fit — prorsus obrueremur! Praeterea propter hanc tantam materiam euitari non poterat, quod errores, siue auctoris sunt siue typothetarum, in siglis librorum adferendis crebro inueniuntur. Quibus rebus factum est, ut apparatus criticus Dietschi non modo molestissimus sit sed etiam uitiosissimus.

Prorsus contrariam uiam atque Dietsch ingressus est Jordan, qui codicem Parisinum 16024 (*P* notatum) principem constituit, omnes reliquos libros siglis *C* et *z* comprehensos deteriores iudicauit. Neque ego id reprehendo, quod is hoc modo apparatum criticum Dietschi simpliciorem magisque perspicuum fecit; sed in ea re peccauit, quod prius non inquisiuit, uerene codex ille Parisinus eo honore quem ei adtribuit dignus esset. Namque hunc librum, nisi eo species archetypi melius quam ceteris libris manuscriptis quasi depingatur, hanc dignitatem obtinere non debere in propatulo est.

At priusquam statuere possimus, qui codex quiue codices in textu constituendo pluris sint pretii, necesse erit et singulos libros et totas stirpes inter se comparare et uniuersam librorum cognationem cognoscere, id quod ante ceteros Maurenbrecher non semel postulauit.[2]

Hanc de libris Sallustianis eorumque cognatione disputationem ita institui, ut primum de libris mutilis agerem. Ex his imprimis antiquissimos tractabo, quoniam ad archetypum eorum eruendum recentiores minimum atque adeo nihil ualere per se perspicuum est. Tum ad integros, quibus 'incertos' adnectam, transgresso mihi ante omnia est examinandum, utrum propriam recensionem redoleant an ex eodem quo mutili fonte fluxerint. Denique quae sit ratio inter mutilos integrosque et fontem orationum paucis expediam.

Ut lectiones, quibus cognationem librorum comprobaturus sum, clarius oculis mentibusque percipiantur, quinque partes plerumque distribui, eum secutus ordinem, ut collocarem:

[1] Praef. p 15.

[2] Jahresbericht passim, Sallustiana p 1.

a) *nomina propria*, non omnia, sed ea tantum, quorum scriptura quidquam habet adnotatione dignum,

b) *lacunas*,

c) *interpolationes*,

d) *transpositiones*,

i. e. eos locos adtuli, ubicumque in nonnullis libris contra memoriam ceterorum una uel plures uoces aut omissae aut additae sunt et duo pluresue uoces transpositae,

e) *cetera*, quae ad cognationem illustrandam apta mihi visa sunt.

Et eas lectiones, quae in eo codice uel in iis codicibus de quibus disputo inueniuntur, sinistra signi (:) posui, dextra lectiones reliquorum codicum collocaui.

CAP. I.

Codices mutili.

1.

Codices enumerantur et in duas stirpes diuiduntur.

Mutilos Dietsch 14 adhibuit, quos Jordan excepto Parisino 16024 (P) uel omnes uel aliquot — ut uerbis eius utar — C siglo significauit. At num is praeter hos aliis quoque mutilis usus sit nescio, quoniam quidem quos quotue mutilos hoc siglo C notatos uoluerit e praefatione eius non elucet. Et ipse de iisdem libris in hoc capite acturus sum, duos tamen libros Dietschi non adsumpsi: Parisinum 6095 (P^3 apud Dietsch.), quem e Basileensi transcriptum fuisse Wirz ostendit, et Einsiedelensem (E apud Dietsch.), qui cum J 85.28 desinat cui generi librorum tribuatur incertum sit. Namque sententiae Maurenbrecheri[1] adstipulor dicentis fieri posse, ut hic liber integer fuerit. Quamobrem de hac re iudicium ad posterum tempus proferre melius habeo, cum et mutilos et integros cognouerimus.

Contra quattuor alios libros in examen uocabo: duos Palatinos 887 et 889, Berolinensem 205, Parisinum 10195.

Ergo libri mutili, de quibus nunc disputaturus sum, hi sunt[2]:

Libri Parisini.

1. Parisinus 16024 (P), olim Sorb. 500, membr. s. X; uerba J 113.3 *colloquio decretum* et quae sequuntur perierunt (Dietsch praef. p 3).
2. Parisinus 16025 (P^1), olim Sorb. 1576, membr. s. X (ibd. 4).
3. Parisinus 6085 (P^2), membr. s. X—XI (ibd. 4).

[1] Jahresbericht p 206.

[2] Cum plurimos libros Dietsch alii descripserint, ea hic repetere superuacaneum habeo, uncis locum includens ubi quisque liber sit descriptus.

4. Parisinus 5748 (P^4), membr. s. XI (ibd. 4).
5. Parisinus 10195 (mihi D, Maurenbrechero E), olim Echternacensis, membr. et bicolumnaris s. XI (Bonnet Herm. 14 p 158). Hunc codicem et Wirz[1] et Maurenbrecher[2] ad lacunam Jugurthinam restituendam consuluerunt eique siglum E dederunt, quod in litteram D eo mutaui, quod E siglo Einsiedelensis uulgo significatur. D codex 150 folia habens, quae sunt in 18 quaterniones unamque binionem divisa, primum Macrobi Somnium Scipionis, tum pp. 43^a—74^b Sallustium, denique miscellanea continet. In Sallustio multae sunt glossae interlineares et latinae et germanicae.[3]

Ex his libris Parisinis D unum ipse contuli, cum liberalitate bibliothecae Paris. hic liber in biblioth. Uniu. Lundensis in meum usum a. 1908 sit transmissus. In P praesto est collatio Iordani a Wirzio[4] emendata et aucta. In ceteris collatione utor Dietschi per Hunzikerum facta, nimirum etiam ea haud pauca respiciens, quae alii docti uiri et addiderunt et correxerunt. Ut collationem libri P^1 idem Wirz et multa corrigendo et noua addendo fere nouam fecit.[5] Quod ad P^2 attinet, Lebègue multos locos mihi benigne denuo contulit, ut lectiones apparatus critici Dietschi passim corrigere possim. In P^4 uno collatio Dietschiana neque aucta neque emendata prodit; quod quamquam doleo, tamen quae sit indoles huius libri dubium esse nequit.

Libri Italici.

6. Palatinus 887 (K), olim humanistae Kemnati, membr. s. X—XI (Wirz in Herm. 33 p 111).
7. Nazarianus (N), nunc Palatinus 889, s. XI ineuntis (Wirz in Herm. 32 p 202 sqq.).

Utrumque codicem ipse in Bibliotheca Vaticana uere anni 1907 maximam partem perscrutatus totum photographice depingendum curaui; postea lectiones ab ed. Jordani discrepantes edidi in Erano 9 p 137 sqq.

[1] Lacuna Jug. p 20.

[2] Sallustiana p 6.

[3] Glossas germanicas coll. Steinmeyer-Sievers, Die althochdeutschen Glossen IV p 597.

[4] Z. f. das Gymnasialw. 31 (1877) p 272 sqq.

[5] De fide atque auctoritate cod. P^1 (Aarau 1867).

8. Basileensis (B) A. N. IV.11, membr. s. XI. (Gerlach in ed. a. 1823 uol. I p XXI). Postquam Dietsch collatione Gerlachi usus est, librum, quem Biblioth. Basil. liberaliter mihi misit, totum anno 1908 percussi.

9. Turicensis (T) Bibl. reip. C 143 a, membr. s. XI exeuntis. (Gerlach in ed. a. 1823 uol. I p XXII). Collatione utor Wirzi, qui collationem Gerlachi a Dietschio adhibitam multis locis suppleuit emendauitque. Singulos locos aestate anni 1910 ipse inspexi.

Libri Germanici.

10. Berolinensis Bibl. Reg. 205 (mihi H, Maurenbrechero b), olim Philippicus 1902, membr. s. XI. (Schlee, Zwei Berliner Sallust-Handschriften, Progr. Sorau 1899). Schlee extremam partem Jugurthae transcripsit uariasque lectiones ceterarum partium Jugurthae et Catilinae edidit; tum Maurenbrecher hoc libro in lacuna Jug. recensenda usus est; denique ipse totum librum aestate anni 1907 iterumque a. 1910 multos locos contuli.

11. Monacensis lat. 4559 (M^2), membr. s. XI—XII (Dietsch praef. p 5).

12. Monacensis lat. 19472 (M), membr. forma 8⁰ s. XII (Dietsch ibd.)

13. Monacensis lat. 19479 (M^1) membr. s. XIII (Dietsch ibd.) In M^1 collatione utor Dietschi, in duobus ceteris collationem Dietschianam non paucis locis corrigere potui, cum beneficio Biblioth. Monacensis et M^2 et M ad Bibl. Uniu. Lund. in meum usum a. 1908 missi sint.

14. Guelferbytanus 68.16 (G), membr. form. 8⁰ s. XII (Dietsch praef. p 5). Ministeriali Consilio Guelferbytano debeo, quod hunc librum totum in Biblioth. Uniu. Lund. denuo perscrutari potui.

Liber Danicus.

15. Fabricianus (F), nunc Bibl. Uniuers. Haun. 25, olim Fabrici, membr. s. XI (Bojesen, De duobus codd. Sall. Hauniensibus, Progr. 1847). Collatione diligentissima, quam Bojesen edidit quamque Dietsch adhibuit, ipse utor multosque locos et eos omnes qui mihi minus certi uidebantur et alios a. 1908 ipse Hauniae inspexi.

Omnes hos mutilos ex eodem archetypo ortos esse non opus est probare. Sed quaeritur, qui codex codicesue indolem archetypi optime prae se ferant ideoque in eo restituendo plurimum ualere debeant. Quae quaestio antequam soluatur, altera res nobis est explicanda: qua sint propinquitate singuli libri coniuncti.

De hac re uiri docti adhuc magis coniecerunt quam sententias certis argumentis comprobatas protulerunt.

Dietsch in codicibus enumerandis etiam de cognatione quasi in transitu pauca loquitur. Duas familias distinguit: u e t u s t i o r e m libros Parisinos et B continentem, i u n i o r e m cuius sint libri Monacenses et T et F. Et hanc diuisionem uniuersam ueritati respondere mox infra uiderimus. At non minus qua ratione hae duae familiae inter se cohaereant quam qua cognatione libri eiusdem familiae uinciantur ostendere neglexit. Nam ut ea quae de singulorum librorum propinquitate obscurius quam uerius dixit nunc omittam, ipsa nomina quae familiis suis indidit, de cognatione familiarum nihil docent, nisi quod putamus cum distinctione illa aetatis, in adiectiuis 'uetustior' et 'iunior' sita, gradum quoque cognationis significare uoluisse. Accedit quod de G libro iudicium omnino retinuit.

Ceteri, qui de libris Sallustianis aliquid scripsere, in cognationem duorum tantum uel paucorum codicum, non omnium inquisierunt; et quid docuerint suo quidque loco dicam. At ne nunc quidem praetermittere debeo quin commemorem Schleeum[1] recte animaduertisse librum H multis locis cum Paris. et B, aliis iisque pluribus cum altera familia facere.

His praemissis quae ipse inuenisse mihi uideor proferam.

Ex archetypo mutilorum, quem Ω nomino, duae stirpes exortae sunt: una, X siglo signata, Parisinos et B complectitur; ex altera, quam Y significo, omnes reliqui et ii, quibus Dietsch usus est ne G quidem excepto, et tres illi, quos ipse addidi, originem ducunt. Et haec stirpium diuisio non aetate solum librorum neque patria eorum nititur — quamquam in his duabus rebus discrimen haud contemnendum apparet — sed ante omnia aliquot lectionibus insignibus confirmatur. Lectiones hae sunt:

	X	Y
b) C 32.1	*antecapere quae*	*a. ea quae*
J 25.9	*ducta*	*diducta* NGTDMFM^1 *deducta* HM^2 (K deest)

[1] Zwei Berliner Sallusthandschriften (Sorau 1899).

X	Y
50.5 *ubi*	*ubicumque* rell praeter *ubique* N m. 1
85.12 *atque ego*	*at ego*
85.23 *quasi lumen*	*quasi* om
88.3 *in itinere*	*in* om
97.2 *accepit et*	*et* om
c) C 23.6 {*inuidia aestimabat* PP^4 / *inuidiam aestimabat* P^1P^2B	*inuidia aestuabat*
25.2 *psallere et cantare* (*saltare* corr m. 2 PB. *uel saltare* ss P^4, *'saltare debet legi teste Seruio in commentario Virgilii'* in mgP^1, idemque fere in P^2 auctore Dietschio)	*psallere et saltare*
C 31.5 *ut sui* P *aut sui* rell	*et ut sui* NKGDM^1MF (*ut* eras GMF) *ut et sui* M^2T *et sui* H
J 26.3 *interficit*	*interfecit* (K deest)
46.8 *absens an praesens*	*absens uel* (*et* K) *praesens*
92.7 *et altis* (*talis* P^1m. 1)	*et aliis*
93.4 *in* (om P^1P^4) *castelli planitiem peruenit*	*castelli planitiem perscribit* omnes praeter *describit* (*per* ss) H
93.6 *adiit*	*adit*
ibd. *ascenderat*	*descenderat*
94.3 *intentos*	*intentus*
ibd. *proelio Numidas*	*proelio inuidias* (*numidas* ss G)

Id igitur quaeritur, quid in Ω scriptum fuerit, et quomodo dispares stirpium lectiones explicari debeant. Quae res, si non ubique, attamen plurimis locis perspicuae sunt.

Ut ab exempli sub b) collocatis exordiar, Y genuinam lectionem archetypi Ω semel certe seruauit J 25.9, ubi in X per haplographiam praepositio *di* excidit; ceteris autem locis Y peccauit, cum et per haplographiam (J 88.3 et 97.2) aut propter aliam indiligentiam, cuius causa nobis non nota est (J 85.23)[1], uoces quasdam omisit et, ut sen-

[1] Fortasse librarius exemplaris Y in noua pagina incipienda *quasi* omisit, id quod in N reuera factum est. — J 85.12 facilius mihi uidetur *que* omissum quam additum explicare, quare hoc quoque loco X lectionem Ω seruasse crediderim.

tentia clarior fieret, uoces addidit (C 32.1 deest correlat., J 50.5 *ubi* = *ubicumque*).

Quod ad exempla sub e) collecta attinet, ut uarii generis sunt, ita ad stirpes discernendas et ad habitum archetypi restituendum non idem ualent. Utrum J 26.3, 93.6 in Ω perf. an praes. traditum sit, ipsa memoria librorum diiudicari nequit, quamquam uerba enuntiatorum quae circum stant illic lectionem X, hic lectionem Y defendere uidentur. Atque similis est res in J 94.3 et 92.7, quibus tamen locis uix dubitandum est quin 'lectio difficilior' exemplaris X scripturam Ω uere reddat. Cetera exempla maiorem uim habent, quippe in quibus dissimilitudo stirpium maxime memorabilis fortunae tribui non possit, sed ad communem fontem necessario reuocetur. Et in propatulo est dispares lectiones, quae sunt in C 23.6 *aestimabat* X : *aestuabat* Y et J 94.3 *numidas* X : *inuidias* Y, ipsi litteraturae, siue uncialem siue minusculam accipimus, deberi, cum illic librarius X litteras contiguas *tua* in *tima* perperam mutarit, hic librarius Y pro *numi* litteras specie simillimas *inui* scripserit. Neque parua ea discrepantia, qua priore loco libri X imbuuntur (*inuidia* PP^4 : *inuidiam* P^1P^2B) lectionem exemplaris X dubiam reddit, quoniam quidem accusatiuus e nominatiuo, ne sensus prorsus abesset, post creatus esse dilucide arguitur. Alia uia nobis ingredienda est ut discrepantiam C 25.2 et J 46.8 explicemus: nam neque lectiones *cantare* : *saltare* neque *an*:*uel* alteram ex altera deriuari posse nemo credo infitias ibit. Equidem hic utramque lectionem Ω tribuere uelim, ut putem *uel* pro 'uaria lectione' adscriptum esse, illic autem *cantare* Ω non adiudicem sed crediderim hunc inf. aliunde in X irrepsisse, quoniam X ex altero exemplari lectiones recepisse mihi persuasi (cf cap. IV). Supersunt C 31.5 et J 93.4, quibus locis quid in Ω traditum fuerit non audeo certe iudicare. At quod probabile mihi uidetur proferam. C 31.5 in Y fuisse *ut*, et *et* supra scriptum, dispari ordine, quem haec uerba in libris occupant, satis comprobatur; et cum X *aut sui* cum plerisque libris procul dubio haberet, P *ut* pro *aut* antecedente uoce *causa* per haplographiam scripsisse nobis sumendum est. Sed quo modo hae dispares lectiones stirpium in unum reduci possint quaeritur. Opinor ego in Ω *ut* extitisse, quod librarii, ut sententiam restituerent, suo quisque modo correxerunt: X *ut* in *aut* mutauit, Y *et* pro *ut* substituere uoluit et hanc coniunctionem supra scripsit. Item altero loco J 93.4 lectio Ω ualde incerta est: lectioni *peruenit* X respondet *perscribit* Y. Quae difficultas meo quidem iudicio ita optime soluitur, si putamus in Ω idem quod

in P^1P^4 legimus extitisse: *castelli planitiem peruenit*, et, cum accusatiuus *planitiem* uoce regenti careret, reliquos libros X *in* praepositionem addidisse; Y autem ipsum uerbum *peruenit* in *perscribit* mutasse.

In stirpibus discernendis multum adiuuamur duobus aliis locis Catilinae, quos, cum unus liber X stirpis a ceteris eiusdem stirpis multo plus quam in illis de quibus nunc egi locis distet, separatim nunc tractabo.

Prior est locus a doctis uiris iterum iterumque tractatus:

C 14.2 *impudicus adulter manu uentre* (*alea* in mg add et *pene* ss m. 2) P *imp. adult. alea (ganeo* ss*) manu uentre pene* P^1 *imp. ad. ganeo alea m. u. p.* P^2 *imp. ad. ganeo manu* (lacuna 4 litt.) *alea uentre pene* B *imp. ad. alea ganeo m. u. p.* P^4: *impudicus adulter ganeo manu uentre pene* Y.

Nunc uero, cum id quaeritur, quid in X traditum sit, testimonium libri P ceteros omnes aequare nequit. Censeo igitur in X scriptum fuisse id ipsum quod in P^1 legimus, i. e. *ganeo* inter lineas insertum esse. Et haec causa est, cur libri P^2BP^4 in hoc substantiuo collocando uariauerint. Quaerentique qui fieri potuerit, ut in P non modo *alea ganeo* sed etiam *pene* deessent, nulla alia causa mihi praesto est nisi quod librarius, utrum substantiuum *alea* an *ganeo* scribendum esset dubitans, utrumque omisit et postea ne συμμετρίαν turbaret *pene* quoque sedulo a textu exclusit. Neque nos in incerto relinquimur, quo modo substantiuum *alea*, quod in Y deest, in X irrepserit. Glossae speciem quam euidentissime prae se fert, qua glossa substantiuum *manu* explicaretur. Ergo in exemplari X haec glossa super *manu* scripta erat, et Y scripturam archetypi Ω recte seruauit.

Ad alterum locum transgredior:

C 35.1 *L. Catilina Q. Catulo* X (*L. Catilina suo Q Catulo* P^2): *L. Catilina salutem Q Catulo* NM^2TDMF, *L. Catilina Q. Catulo salutem* $KGHM^1$. Id statim elucet in Y substantiuum *sal(utem)* supra nomina *Q. Catulo* inter lineas insertum esse; quo factum est, ut in nonnullis libris *salutem* medium locum inter nomina occuparet, in paucis post omnia nomina poneretur. Sed quid sibi uult permira lectio codicis P^2 *suo* addentis? Nisi fallor, in hoc pronomine *suo* nihil aliud latet nisi idem compendium substantiui *sat*, quod librarius P^2 perperam intellexit. Quod si uerum est, haud scio an iam archetypo Ω hanc glossam uindicare debeamus.

Quamquam exemplis satis multis diuisionem in duas stirpes

mutilorum me confirmasse existimo, tamen unum addere in animo est, licet ad quartam huius capitis paragraphum, ubi de mutuis stirpium nexibus mihi dicendum erit, pertinet. Sed iam nunc uitii praeclarissimi exemplaris X, quo P^4 est liber, mentionem faciam:

C 57.1 *Pistorionsem* P *Pistoriosem* P^1P^2 *Pistoriosen* B: *Pistoriensem* P^4 Y. Fugit Dietschium, hanc uitiosam scripturam, quam is ad intimam cognationem codicum P^1P^2 comprobandam plurimum ualere iudicabat etiam in B inesse, quamquam iam Gerlach[1] de hac re recte docuerat. Nullum igitur dubium est, quin X eodem uitio laborauerit *Pistorionsem* exhibens; cuius uitii causa in eo sita est, quod librarius X *o* pro *e* legit. Neque tamen haec falsa scriptura plus quam alia eiusdem generis uitia, quae supra p. 11 commemoraui, nos de litteratura archetypi Ω certiores facit, quoniam uocales *e* et *o* in litteratura et unciali quae uocatur (Є:O) et minuscula (*e:o*) similes sunt ideoque permutari solent. Quod ad minores discrepantias attinet, quibus libri X imbuuntur, ad compendium scripturae ∽, quo et *m* et *n* significare mos est utrique litteraturae praedictae, reuocandae sunt. Ergo in X scriptum erat: *pistoriosē*.

Postquam mutilos in duas stirpes distinxi, primum has stirpes per se quamque examinabo et singulos pluresue libros comparando qua cognatione coniungantur statuere conabor, tum quae sit ratio stirpium subtilius inquiram, id imprimis spectans, ut numquid altera ab altera mutuata sit cognoscam. A stirpe X exordium faciam.

2.

Stirps X.

1. X stirpi libros Parisinos et B adtribui. Eosque libros uetustiorem familiam efficere Dietsch, ut supra monui, docuit et de cognatione librorum his fere uerbis utitur: P^1 cum P ita consentire, ut quin ex eodem fonte fluxerit prorsus dubitari non possit; tum P^2 ad idem archetypum exaratum esse atque P^1 cum ceteras scripturas ostendere tum quod uterque C 57.1 *pistoriosem* exhibeat; denique B haud raro cum PP^1P^2 consentire. Quae uerba eius opinor ita esse intellegenda, ut sumat P^1 et P^2 ex eodem exemplari transscriptos esse, quod exemplar cum P artius, cum B laxioribus uinculis esse coniunctum. — Quod sciam, nemo alius de omnibus huius

[1] Ed. Basil. (a. 1852) uol. I p 469.

stirpis libris disputauit. Klimscha[1] de duobus tantum Parisinis P et P¹ disserens e corruptelis eorum communibus id comprobatum uult eos eodem exemplari usos esse simulque sumit hoc exemplar minusculis litteris scriptum esse. Cum hic liber Klimschai non nisi recensione Maurenbrecheri[2] mihi notus sit, e quibus lectionibus argumentum duxerit nescio. Et hos duos libros inter se artius quam cum ceteris eiusdem stirpis cohaerere multae similitudines quas ipse inuestigaui confirmant. Quamquam quod Klimscha conclusit eos ex eodem patre natos esse non omnino ualet. Praeterea etiamsi hoc uerum esset, quid impedit quin aut P aut P¹ aut duo coniuncti cum tertio libro aut pluribus eadem contrahantur cognatione? Suo igitur iure Maurenbrecher postulauit, ut eodem modo quo in hos duos in alios mutilos si non omnes attamen uetustissimos inquireretur; quo facto nobis licere de cognatione librorum certius iudicare.

Quisquis lectiones stirpis X percensebit, non poterit non animaduertere libros PP¹ hinc, illinc P²BP⁴ lectionibus peculiaribus et quae intimam cognationem testentur praeditos esse. Ex iis lectionibus, quae PP¹ communes sunt, multas, quae in NK simul locum habent, postea in § 4 adferam; nunc satis habeo eas enumerare quas in nullis aliis mutilis nisi in his duobus repperi, quaeque igitur ex eodem fonte (Π) fluxerunt:

PP¹ (= Π) a) C 30.5 *Ruffus* — J 18.7 *Nomadas : Numidas* — 40.4 *Mamilia : Mamiliana* NK *Mamilli* rell. — 81.1 *Persem (sen* corr).

b) C 20.9 *fortissimi* (*o* ss P add P¹) — J 9.2 *en* om — 61.4 *clam* om — 81.2 *iter constituunt* ss — 92.1 *maior* (*atque* om) *clarior*.

c) J 73.7 praen. *T(ito)* seruarunt.

e) C 10.2 *alias* P *alia* P¹: *aliis* — 14.5 *molles etiam et fluxi : molles aetate et fluxi* P²BP⁴H *m. et aet. fl.* Y — 28.1 *domu* (*domi* corr) P *domui* (*u* exp) P¹: *domi* — 52.27 *conuertat : conuertatur* P²BKGM²T *uertat(ur)* rell. — 55.4 *odere* P *opere* P¹: *odore*.

J 27.5 *florent : forent* — 31.9 *indignabimini : -bamini* — 31.18 *censet : censes* — 32.5 *quoniam : quo* — 49.2 *belli : bello* — 85.17 *faciunt : -ant* — 88.6 *accideret* (ex *-rat* P): *accederet* — 90.2 *dicetque* (*dicitque* corr) — 93.2 *aequatum* (*aquatum* corr) — 97.3 *die : diei* — 102.3 *paucis* (*u* exp) — 113.2 *pollicere : -ri*.

Item tres reliquos libros P²BP⁴ eodem exemplari (Σ) usos esse hae lectiones maxime insignes demonstrant:

[1] Sallustianische Miscellen (Progr. 1882).

[2] Jahresbericht p 191.

P²BP⁴ (= Σ) a) C 31.4 *Plautitia : Plautia* — J 28.6 *Hegium* P² (ex *Reg?*) B *Hegeum* P⁴: *Regium*.

b) C 26.5 *in campo* om.

d) J 62.9 *ipse secum* P²P⁴ *secum* ss B: *secum ipse*.

e) C 26.5 *consuli : consulibus* — 29.3 *nulli : nullius*.

J 5.3 *expediam : -io* — 25.4 *in senatu : senatus* — 41.1 *senatus factionum : senatores f.* — 53.8 *decretant : detrectant* — 65.3 *imperatori : imperatorem* (*in* om) — 80.6 *Bocchi : Boccho* — 89.7 *id ibique et : id ubique et* — 94.6 *correpta : correcta*.

Et haec diuisio, qua quasi duae familiae Π et Σ creantur, alia re confirmatur: ex integris duo imprimis libri sunt, quarum unus **l** cum Π, alter **n** cum Σ mirum in modum conspirat. Ut in **l** inter alias hae lectiones sub e) collocatae quae maximi sunt momenti extant: C 10.2 *alias*, 14.5 *molles etiam et fluxi*, 28.1 *domui* — J 32.5 *quoniam*, 49.2 *belli*, 97.3 *die*, et **n** omnes fam. Σ lectiones peculiares participat praeterquam quod J 94.6 *corrupta* pro *correpta* exhibet.

Nec tamen in triade P²BP⁴ omnes tres libri eundem locum cognationis occupant sed P²B artioribus uinculis contrahuntur. Primum his duobus libris id commune est, quod in iis tantum post finem Jugurthae cap. 110, i. e. Bocchi regis oratio, a prima manu adiectum fuit. Tum uterque iisdem mendis, quae in nullis aliis mutilis inuenias, excellit:

P²B a) J 55.1 *Auli : Albini* — 65.5 *Maniliam : Mamiliam* — 73.7 *Mancilio : Mancino*.

b) C 27.1 *misit* (*di* om) — 30.4 *ii* om.

J 32.5 *ad Jugurtham* om P² ss m. 2 B — 79.7 *esse* ante *uident* om — 84.5 *milites* om P²ss B — 85.38 *illis* om P² ss B.

c) C 5.9 *reliquerint* (*relinquerint* B) *e t ut* — 10.2 *otium diuitiae q u e* — 14.1 *in tanta i t a q u e tamque* (cf *igitur* add T) — 26.4 *d e sentiret* (*de* eras P²) — 33.2 *aere* (*communi* ss) P² *aere communi* B.

J 28.1 *i n haeserat* — 53.4 *capti s u n t* — 61.1 *Jugurtham n i t i nisi* — 64.2 *neu t a m* — 100.1 *uti coeperat in hiberna i t propter* — 100.4 *p r o diffidentia* — 113.3 *occultare et oris i m m u t a t i o n e patefecisse*.

d) J 35.2 *sit Massinissae* P² *sit* ss B — 102.4 *cuius Sulla facundiae: Sulla c. f.* — 112.3 *Sillam sibi* P² *sibi* ss B.

e) C 44.5 *petis : petas* — 51.33 *uillas* (ex *-am* P²) — 52.4 *persequere : persequare*.

J 18.9 *mare Africam : m. Africum* — 38.6 *erupere : ir.* — 38.9 *discederet : dec.* — 41.4 *asperius acerbiusque fit: a. a. fuit* uel *fuere*

— 54.8 *quippe cui : qu. cuius* — 57.4 *succendere* (*n* eras B) — 73.5 *immanius* P^2 *in manus* B : *in maius* — 79.1 *memorabile : mirabile* — 85.10 *prosapiae aut : pros. ac* — 93.4 *modo deinde: modo modo* — 93.4 *nisi* (*i* eras *us* ss B) : *nisus* — 102.2 *de se: de suo.*

Neque ego crediderim haec omnia menda archetypo Σ adiudicanda esse, propterea quod exceptis J 55.1, C. 30.4, J 61.1, cetera in **n** desunt. Quare caue fontem communem librorum P^2B et Σ idem esse putes.

Etiam in cap. J 110 concordia adest, ut P^2B aut soli aut simul cum aliis libris easdem habeant lectiones uelut:

2 *indigus : indigui* — 3 *apud meum animum : ap. an. m.* — *carius est: c. habeo* — 4 *uiuis: uiues* (ss P^2) — 8 *meque: me.*

Rarius fit, ut P^4 aut cum P^2 aut cum B congruat, uelut:

P^2B^4 c) C 8.5 *dicere e t sua* — 36.3 *e t Cicero* — J 15.5 *solet f i e r i ne* — 22.2 *adolescentia s u a.*

d) J 20.6 *regnum eius.*

e) J 73.2 *inuictum: inuitum* (ss P^2) — 92.5 *uelud: uelut* — 99.1 *et paulo: ac p.*

BP^4 b) J 40.4 *fuisse* ss.

c) C 3.3 **a** *studio* (*a* ss P^2 alii) — 23.4 *quae e t quo modo* (cf *quae et quoque modo* P^2) : *quae quoque m.*

e) C 52.33 *atque hominibus : aut h.*

quae lectiones Σ procul dubio adiudicandae sunt.

Cum de Σ loquor, quartus huius familiae socius isque coaeuus fere mihi commemorandus est: manus correctrix codicis P^1, quam p^1 significo. Haec manus imprimis cum P^2 adeo concordat, ut suspicio animos iure subeat, alterne ex altero sit transcriptus. Quis enim tales locos quales sunt:

C 5.3 *cuiquam* eras p^1 om P^2 — 14.1 *in tanta tamque* (*itaque* ss) p^1: *in tanta itaque tamque* P^2 — 23.4 *quae quoque* (*et* ss) p^1: *quae et quoque* P^2 — 25.3 *sed cariora* (*ei* in mg) p^1 : *sed cariora ei* P^2 — J 20.7 *cum* del. p^1 om P^2 — 32.5 *ad Jugurtham* exp p^1 om P^2 — 61.1 *Jugurtham niti* (*nisi* ss) p^1: *Jug. niti nisi* P^2

aliosque multos eiusdem generis inspexerit, non poterit non suspicari P^2 tum demum scriptum esse, cum P^1 correctus sit. At rem non ita esse ipsa aetas manus correctricis p^1 uetat. Namque, ut mihi Lebègue benigne scripsit, haec manus p^1 aetate paulo posterior est quam P^2. Neque contrarium sumi licet p^1 ad P^2 correctum esse. Tum enim omnia quae in P^2 leguntur a p^1 recipi debuerunt.

Sed loci sunt, licet pauci, ubi p^1 textum manus P^1 non correxerit.[1] Quae neglegentia duobus modis excusari potest: aut p^1 discrepantias non obseruauit (uelut C 44.5 *qui sim* P^1: *quis sim* P^2 — 52.27 *conuertat* P^1: *conuertatur* P^2, *ur* terminatione nimirum hasta scripta), aut studium corrigendi paulatim languit (et dissimilitudines in fine crebriores sunt quam in principio Sallusti). Sed etiamsi nobis negandum sit P^2 exemplar fuisse manus p^1, attamen correcturae p^1 secundum librum P^2 simillimum certe factae sunt: circa 300 correcturae quas collegi huic rei documento sunt. Neque mirum, si ex his multae etiam cum B, haud paucae cum BP^4 aut Bn aut omnibus BP^4n congruunt, id quod cognatio horum codicum a me nunc probata secum fert. E maxima copia exemplorum mihi liceat ad ea quae iam protuli nonnulla alia addere, ut hanc manum correctricem per totum Sallustium pertinere uideamus. (Litteris diductis eas lectiones, quas nusquam nisi in P^2p^1 repperi, pressi).

		P^1.	P^2p^1 (BP^4n).
C	2.8	*transire*	*transegere*
	5.9	*reliquerint ut*	*reliquerint et ut*
	7.6	*se quisque*	*sic se quisque*
	14.5	*molles etiam et fluxi*	*molles aetate et fluxi*
	21.2	*alia*	*a l i e n a*
	26.4	*sentiret*	*desentiret*
	26.5	*consulibus*	*consuli*
		in campo	om P^2 del p^1
	29.3	*coercere*	*c o g e r e*
	29.3	*nullius*	*nulli*
	35.1	*L. Catilina Q. Catulo*	*L. C a t i l i n a s u o Q. C a t u l o*
	47.1	*fide praedicere*	*f i d e i p u b l i c a e d i c e r e*
	54.4	*bono*	*dono* (item plerique libri)
J	3.1	*his fuit uti aut*	*ius utique tuti aut* P^2 *ius* (*concessum* ss) *fuit utique* (in mg) *tuti* (ss) *aut* p^1
	5.3	*expedio*	*expediam*
	15.5	*solet ne*	*solet fieri ne*
	20.7	*cum*	o m P^2 d e l p^1
	22.2	*adolescentia*	*adolescentia sua*

[1] Hic locus est memorandi hos locos pauciores esse quam quod ex apparatu critico Dietschi apparet. Multos locos incertos codicis P^2 Lebègue mihi contulit, quorum plerique cum p^1 consentiunt, pauci tamen ab eo abhorrent.

J	23.2 *infestum*	*infestum sibi*
	29.4 *Vagam*	*Vacam*
	41.4 *apertius acerbiusque fuere*	*asperius acerbiusque fit*
	64.1 *Marius cum*	*cum* om P^2 del p^1
	91.1 *item turmas*	*item per turmas*
	92.1 uerbum enuntiati a *post-quam* incipientis om	*peregit*, quod in Σ traditur, ss p^1
	102.2 *de suo*	*de se*
	102.6 *at utinam a principio tibi melius*	*ad hoc populo romano iam a principio inopi melius* Σ *utinam* et *tibi* exp *populo romano iam* et *inopi* ss p^1.

Rarissime correcturas repperi, quae, si apparatui critico Dietschi fides habenda est, ad P^2 non quadrant. Ut J 48.3 P^1 *milia uiginti* omisso substantiuo *passuum* perhibet, quod substantiuum p^1 in mg. addidit praemisso participio satis miro *habens*. In P^2 item ut in PP^4n *milia passuum uiginti* extant, at in B participium illud traditum est: *milia habens passuum XX*. Quamobrem suspicor in archetypo codicum P^2B ita scriptum fuisse *milia habens passuum XX*, et puto hanc uocem a librario uel commentatore quodam adiectam, qui genetiuum cum substantiuo *mons*, non cum uerbo *aberat* coniungi debere doceret. Et sic facile intellegitur, qui fieri potuerit, ut hanc uocem P^2 omitteret, B in textum reciperet. Duo alia ex. uideas in cap. IV, ubi de ratione quae est inter V et X agitur.

2. Adhuc probauimus X stirpis duas familias esse: Π = PP^1 et Σ = P^2 BP^4, quam iterum in duas minores partes P^2B et P^4 diuisam esse. At ne credamus hanc familiaritatem per libros unam pertinere, multae dissimilitudines librorum eiusdem familiae societatesque inter libros utriusque familiae contractae nos monent. Ex his societatibus eae praecipue multis exemplis nituntur, quae paria librorum PB et P^1P^2 —P^4 enim inconstans est — efficiunt. Quod genus propinquitatis mihi libet aliquot exemplis illustrare:

	PB.	P^1P^2.
C 10.1	*ingentes* om	*ingentes*
12.2	*neque moderati*	*nihilque moderati*
16.4	*petendi*	*petenti*
21.2	*libido uictorum*	*uictorum libido* (P^4)

C 28.2	*periculum*	*periculi*
31.9	(*restinguam* P *exstinguam* B)	*restringam* (P^4)
35.5	*cum scribere*	*conscribere* (n)
39.3	*ceterosque*	*ceteros* (P^4)
40.1	*Allogobrum* (H)	*Allobrogum*
52.33	*iterum*	*iterum iam*
J 4.4	*magistratus* (P^4)	*magistratum*
5.1	*tunc primum*	*primum tunc* (P^4)
9.2	*et populo romano*	*populoque rom.* (P^4)
24.10	*me manibus* (P^4)	*me ex manibus*
27.2	*tribunus plebis designatus*	*tribunus plebis* (*p* ss *l* P^1) *legatus designatus*
30.4	*R. Memnii* (ex *emmii*) P *R. mennii* (*romae* ss) B	*Romae Memmii*
85.12	*et acta*	*acta*
95.3	*et latinis*	*atque latinis*
ibd.	*uoluptas*	*uoluntas*

Huiusmodi exempla, quae augeri possunt, contemplantibus concludendum nobis est neque PP^1 neque P^2B, licet multis in rebus similes sint, ex uno eodemque fonte manasse sed singulos libros e duobus saltem exemplaribus e X ortis quodammodo contaminatos esse. P^1 igitur non, ut Klimscha sumpsit, ex eodem exemplari atque P transcriptus est, sed eo usus est exemplari, quod magnam in partem exemplari libri P simile multis lectionibus ex altero exemplari finitimo sumptis repletum erat. Quod idem in ceteris libris mutatis mutandis ualet. Adde quod P^1, ut infra ostendam, multas magnasque similitudines cum N exhibet, quas ad communem fontem reuocari necesse est. Denique P^1 ante ceteros mutilos ea re excellit, quod cum testimoniis ueterum scriptorum insigniter consentit; qua de re uideas quae in parte II sum disputaturus.

Multis aliis modis libri societates inierunt.

Quoniam P et P^1 cognati sunt atque inter P^1 et P^2 affinitas est, sequitur, ut P^2 interdum cum Π faciat ut in C 31.9 *inquid* — J 99.5 *diiungebat* (*disiungebat* corr P^1P^2). Atque similiter P^4 ad Π passim transiit: C 10.1 *ac miscere omnia* ss — 43.2 *Statilius et Gabinius* (*et* om rell) — J 85.49 *nemo ignauia* (*ign. n.* rell). Quem transitum ab affinatate librorum P^1P^4 pendere haud paucae lectiones P^1P^4 propriae demonstrant:

b) J 63.2 *alia* ss P^1 om P^4 — 79.3 *in* ante *magno* ss P^1 om P^4
P^1P^4 — 89.7 *illis* ss (praemisso *s.*) P^1 in fine enuntiati supra *erat* scr P^4
— 97.5 *pedites(que* om).
c) C 55.5 *indices (demonstratores* ss).
e) C 21.1 *postulare* m. 1: *postulauere* — 35.3 *possem sed : p. et.*
J 5.3 *quod ad (quo ad* corr) — 52.5 *partibus : parti* (corr. P^1)
— 77.3 *gnaue : naue (naue i. e. nauigio* ss P^1) uel *naui* — 94.6 *oboeun-tium : occisorum* (ss P^1P^4) — 102.7 *hominum : omnium* — 113.4 *ex eius : ex illius.*

E contrario P, quem cum B crebro facere supra uidimus, etiam cum P^2B similitudines, quae fortuitae esse non possunt, praebet:
P+P^2B b) J 85.11 *sibi* om — 85.40 *que bonis* om P *bonis* om B ss P^2.
c) J 85.47 *me q u e uosque* — 96.1 *supra p r a e dictum* — 102.10 *multa a t q u e oportuna.*
d) J 85.40 *laborem uiris.*
e) C 20.8 *relinquere* (*n* eras B) — J 31.12 *et eidem : idemque* — 74.1 *hominum : omnium* — J 101.5 *proeliarentur : proeliantur* plerique — 102.9 *nunc quando : n. quoniam.*

Ad quos locos paucos addo, ubi P a tota familia Σ stat:
P+Σ C 52.4 *maleficia : malefacta* — J 85.40 *diuitiarum esse : esse* om — 85.48 *decebat : decet* — 91.7 *ante neque : ante* om — 94.1 *compositisque : que* om — et paucos, ubi P^1 cum P^2 uno consentit:
P+P^2 C 29.1 *Man‖li* (*i* eras) P *Manili* (*i* exp) P^2 : *Manlii* — 51.37 *neque consilii* in mg P ss P^2 — J 65.2 *eorum more : e. modo.*

Item P^1 cum P^2P^4 passim conspirare, uelut C 48.9 *paratam (impositam* ss), ex iis, quae de huius libri cum et P^2 et P^4 familiaritate nuperrime docui, uix debet nobis admirationem inicere. Sed magis mirandum est, quod triadis P^1P^2B paucae lectiones communes sunt, quae ob ipsam indolem adnotatione dignae mihi uidentur.

J 27.4 in plerisque libris hoc modo traditum est: *consules declarati P. Scipio Nasica L. Bestia Calpurnius : Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obuenit,* nisi quod *Calpurnius* in P omissum est, in M^2GD supra scriptum, in N ita transpositum: *L. Calpurnius Bestia.* Siquis hinc concludere uelit nominatiuum *Calpurnius* in Π et in Y intra lineas postea insertum ideoque eiciendum esse, hoc credo nemo infitias ibit. At aliud nos docent libri P^1P^2B, ubi nomina propria ita scribuntur: *Calpurnius L. bestiae calpurnio* P^1, *Calpurnius L. Bestia. c. calpurnio (L. Bestia c.* eras) P^2, *l. bestia. c; calpurnio* B. Id statim apparet *Bestiae* P^1 ex *Bestia c.* P^2B exortum esse, sed quaeritur, quid hoc siglo *c.* significetur. Quod sciam, in hoc siglo nihil

aliud latet nisi nomen *Calpurnius*. In X igitur (et addo: etiam in Ω) *bestia c.* extabat, ad quod explanandum librarius quidam *Calpurnius* in margine aut intra lineas scripsit. Ergo h. l. B instar est archetypi X, P *c* obscurum omisit, P^2 ex X interpolationem recepit neque tamen primigeniam lectionem deleuit sed idem nomen quodammodo dupliciter scripsit; itemque P^1, qui tamen *bestia c.* in *bestiae* deprauauit. Denique B nomen additum neglexit, namque interpolationem siue correcturam, postquam B scriptus sit, factam esse non credibile mihi uidetur, propterea quod B alia quae in P^1P^2 inter uersus extant in ipsum textum intrusit. Cuius rei documento sunt loci hi: C 39.4 *exsanguibus ceteris qui* B *ceteris* ss P^1 P^2 — J 11.6 *illum his tribus* B *his* ss P^1P^2, quo loco lectio *illum tribus his* integri **n** nobis demonstrat pronomen additum ex Σ, non ex Π petendum esse. Idem integer **n** nobis uiam aperit ad intellegendum, quid sibi uelit et unde uenerit glossema satis mirum, quod in tribus iisdem libris P^1P^2B J 85.29 legimus: *triumphos (triumphales sine fixo* ss*)*. Cum enim in **n** pro *triumphos* adiectiuum *triumphales* traditum esse uideamus, aenigma per se ipsum soluitur: uox *triumphales* uaria lectio est a Σ sumpta, et uerba 'sine fixo' nihil aliud sunt nisi interpretamentum librarii uel commentatoris cuiusdam explicantis adiectiuum *triumphales* substantiuo non regente absolute dici.

Alia exempla proferre possum, quibus et has quarum mentionem feci et alias societates librorum stirpis X comprobem. Sed hac uia in cognatione ualde intricata expedienda non multum proficimus.

Ut ea quae disserui paucis comprehendam, id constat libros X stirpis in duas familias Π et Σ diuidi et inter has commercium dandi et accipiendi esse celeberrimum, ut libri—si fas est dicere—non modo cognatione sed etiam affinitate contrahantur. Quae cum ita sint, necesse est sumamus ex archetypo X plura exemplaria scripta atque ea aliud ex alio correcta et emendata prorsus eodem modo, quo hoc in libro P^1 factum esse clare et aperte uidimus[1]. Sic facillime explicatur libros eiusdem familiae longe discedere atque cum alterius familiae libris consentire. Quod si uerum est, Iordanum sequi non audemus unum modo librum eligentes qui prae ceteris

[1] Etiam ceteri libri stirpis X manum correctricem passi sunt; de manu 2 codicis P uideas in cap. IV.

X archetypi instar sit. Namque licet P, quem Jordan ceteris praeposuit, ad X proxime accedere mihi quoque uideatur, tamen comparatione librorum diligenter facta mihi persuasi X hoc uno libro ceteris neglectis non posse restitui. Et crediderim, quisquis exempla supra adlata perlegerit, eum mihi hoc adsentiri. Omnium minime deesse debet testimonium P^1, quippe in quo libro lectiones exemplaris ipso Ω antiquioris lateant.

Itaque, si quid in X traditum sit quaerimus, multae nobis res simul considerandae sunt: primum permagni interest qui quotque libri utrimque stent; tum ante omnia animaduertendum quales sint lectiones dispares, et utra principalis habenda sit, neque enim licet omnes locos uno ordine ponere. Ut nullum dubium esse potest, quin in X fuerint ex. c. lectiones, quas p 20 adtuli, P et Σ, P et P^2B communes, ita non sine causa dubites X adiudicare, licet in P^1 Σ tradita sit, talem lectionem qualis est C 25.3 *libidine*, quoniam lectio *Plibido* (quae in P^4 supra scr. est) in *libidine* mutari facile poterat, nisi forte putamus utramque lectionem in X extitisse. Denique testimonium integrorum **In** ad hanc rem diiudicandam non est contemnendum: ubicumque u t e r q u e cum altera parte stirpis X facit, hanc ipsam lectionem in X fuisse probabilius est quam si alter ab altera parte stat. Quare si in plerisque eorum locorum quos nominaui hi duo cum P Σ et PP^2B simul consentiunt, hoc opinionem illam pro sua parte confirmat.

Quoniam igitur libri non simplici et pura sed uaria et mixta cognatione sunt coniuncti, stemma, quod uerae cognationi omnibus in partibus respondeat, facere non possumus. Sed ut uniuersa cognatio graphice illustretur, satis erit hoc stemma erigere:



3.

Stirps Y.

1. Stirps Y omnes reliquos mutilos continet. Ex his Dietsch Monacenses MM^1M^2, tum TFG cognouit eosque G excepto familiam iuniorem efficere sumpsit, ea imprimis re insignem, quod uerborum ordo saepissime inmutatus esset. De cognatione autem librorum eadem fere quae in priore stirpe repetit: M^1 haud raro cum M, M^2 saepissime cum M et M^1 consentire, F denique cum M ita consentire, ut utrumque ad idem exemplar exaratum esse luce clarius sit. Ut igitur de T omnino tacet, ita eius de ceteris iudicium non modo obscurum est sed etiam in aliqua parte falsum.

De N Wirz[1] scripsit et aliquot locis examinatis recte probauit hunc librum cum P^1 et Einsiedelensi cognatione quadam uinciri. Sed de hac re post agam. Quibus autem uinculis N item ut KG cum ceteris libris stirpis Y contrahatur, nemo adhuc penitus inquisiit, nisi quod ipse et N et K cum a X tum a Y stare aliquot exemplis ostendi[2]. Idemque de H libro Schleeum recte obseruasse iam monui.

In cognatione huius tantae stirpis indaganda ante omnia necessarium esse censeo lectiones inuestigare, quibus freti libros in familias discernamus. Neque difficile est tales locos inuenire. Qui apparatum criticum editionis Dietschianae uel obiter inspexerit, confestim intelleget libros M^2TMFM^1 — hic est ordo librorum, si cognationem respicimus — multis mendis laborare communibus: in iis non modo — id quod Dietschium non fugit — ordo uerborum saepe mutatus est, sed etiam eadem uerba crebro omissa sunt, eadem passim addita. Et haec eadem uitia etiam in H et D plus minus occurrunt, ut iure contendamus hos septem codices, licet alius ab alio et saepe et multum distent, tamen ex eadem familia generatos esse. — Contra libri NKG in ea re similes sunt, quod multo plus quam illi aut cum tota X aut cum parte quadam huius stirpis conspirant. Accedit una quidem lectio horum trium NKG peculiaris et quae eius sit indolis, ut omnes de arta eorum cognatione scrupulos euellere debeat. Legimus enim C 12.1 pro *hebescere* infinitiuum *(h)erubescere*, quam unicam lectionem omnes tres libros per se quemque inuenire non potuisse in propatulo est. Minus ualet altera lectio, quae in iisdem libris inuenitur C 32.1 *uigiliis esse munitam*, quo loco in reliquis libris inf. *esse* deest.

[1] Hermes 32 p 202 sqq.
[2] Eranos 9 p 162 sq.

Duas igitur familias distinguo: Z, cuius membra sunt NKG, Γ uel Γ', quae ceteros complectitur: Γ' nomen usurpo, ubicumque H ad ceteros accedit, Γ familiae siglum erit, si H deficit.

2. Familia Z = NKG.

De hac familia non opus est hic multa dicere; plura dicenda sunt, cum quo modo singuli libri cum Γ' nectantur explicabo. At iam nunc commemorare uelim, etiamsi unitatis familiae alia insignia exempla desint, tamen propinquitatem lectionibus binorum codicum NK, KG propriis apparere.

NK: a) J 37.2 *p l lucullus* N *P. L. lucullus* K: *P. Lucullus* (*L. Lucullus* M^2) — 40.4 *Mamiliana* (*ana* eras) : *Mamilia* PP^1 *Mamilli* rell.

b) C 47.1 praen. *S(eruium)* om — 56.5 *simul* om.

J 14.15 *fratri* om N *quem minime* K (eras *fri*, quod ante *quem* m. 2 inseruit) — 38.5 *alii* semel — 71.3 *erat* (*ei* om) *Numida* — 79.9 *uitam* (*que* om) — 95.4 *illi* om.

c) C 30.5 *permissum e s t* — 56.4 *modo i n Galliam* (cf *modo ad G.* MF).

J 43.3 *usui* (*utilitati aut* in mg) N *aut utilitati* (exp) *usui* K — 55.4 *eo magis a n i m u s anxius* (cf *eo magis animosior* Γ *eo magis animus* (exp) *anxius* in mg H).

KG: c) J 4.2 *memet e t studium* — 10.1 *ego* o *Jugurtha* — 97.2 *Mauro* (*bocco* eras) K *Mauro* (exp et *Boccho* ss) G : *Mauro* — 98.1 *tam obscuro* (exp) *aspero* K *tam aspero* (*obscuro* eras) G — Cf etiam J 85.13 *litteris ea* (*didicere* ss) K *litteris discunt ea* G.

d) J 54.8 *loca sua* — 67.3 *fama integra*.

e) C 43.1 *grauissimam* (sequitur *inuidiam*) : *grauissimi* — 51.43 *ne quis* : *neu quis*.

J 14.20 *in absente* K *in absentem* G : *de absente* — 41.1 *dicunt* : *ducunt* — 43.1 *populis* K *populi* (*s* ss) G — 62.8 *uirisque pecuniaque* : *uiris et pecunia*.

Addas quod KG soli J 46.8 *in incerto* recte habent, cum in XN *incerto*, in reliquis *incertum* legatur.

Cognatio igitur librorum perspicua est, ut hoc stemma facere possimus:

3. Familia Γ' = HM^{2}TDM^{1}MF.

Ut propagatio huius familiae quam maxime dilucida fiat, et ut in cognatione librorum cognoscenda tutissime progrediamur, optimum iudico a duobus tantum libris incipere et deinceps plures libros in examen uocare. Et a MF exordium faciam, quippe quorum artissima propinquitas primo obtutu facillime perspiciatur.

MF.

Iam Dietsch docet hos duos libros ita congruere, »ut utrumque ad idem exemplar exaratum esse luce clarius sit«. Et re uera similitudo tanta est, quantam in nullis aliis libris Sallustianis, quos quidem nouerim, reperiatur. Atque ea etiam latius patet, quam quod ex apparatu critico Dietschi concludi potest. Namque cum diligentius eos locos inspexerim, ubi, si fides habenda est Dietschio, discrepantiam statueremus, haud paucos inueni qui congruant. Ne longus sim omnes lectiones enumerando, quae in nullis aliis mutilis nisi in his duobus extant, paucas uniuscuiusque generis eligam summamque lectionum propriarum adiciam.

b) C 6.3 *eorum* ss al. m. M, om F — 11.5 *maiorum* ss — 12.2 *luxuria* (*atque* om) *auaritia* — 30.6 *libero* om (Summa ex. 16).

J 37.4 *oppidi* om — 42.1 *in libertatem* ss M in mg F — 50.5 *turma* om — 53.7 *et tumultum* om (*tumultumque* ss F) — 66.1 *pacis* ss M in mg F — 70.5 *monere* in mg M om F (Summa ex. 28).

c) C 3.1 *c o n scripsere* — 20.2 *res m i h i cecidisset* (*mihi* eras F) — 52.6 *non i g i t u r de uectigalibus agitur* (Summa ex. 6).

J 14.15 *infelix e g o* — 70.2 *gloria m a g n a* — 100.3 *apud omnes adesse* (*esse* F) *o m n e s laudare* (Summa ex. 10).

d) C 5.7 *artibus quas supra memoraui auxerat: art. aux. q. s. m.* — 9.2 *parci erant in amicos fideles : parci in am. fid. e.* — 16.1 *sed ut iuuentutem quam supra diximus : sed iuu. quam ut s. d.* — 33.5 *ulti maxime sanguinem nostrum pereamus* M *ulti s. n. maxime pereamus* F : *maxime ulti s. n. p.* (i. e. in archetypo MF *maxime* supra scriptum erat). (Summa ex. 20).

J 14.19 *quo sociorum iniurias facilius: quo fac. soc. in.* — 31.12 *honesta omnia atque inhonesta : hon. atq. inh. omnia* — 31.19 *pax fuit aut deditio : pax aut ded. sit* — 102.7 *habemus abunde* (Summa ex. 27).

e) C 7.6 *putabant*(*uolebant* ss) : *uolebant* — 12.1 *ceperat: coepit* — 17.7 *participem : principem* (ss F) — 32.2 *cognouit : cognouerat* — 47.3 *tenerentur : haberentur* Y *habeantur* X — 56.2 *uenit : uenerat* (Summa ex. 21).

J 2.4 *tepescere : torpescere* (*or* ss M) — 13.1 *timor: metus* — 26.3 *obuius fuit : o. fuerat* — 33.2 *memorauimus : narrauimus* TDM^1 *diximus* rell — 52.5 *praediximus : supra diximus* — 62.9 *consultis : consumptis* (ss MF) — 69.4 *excusat : expurgat* (ss MF) — 73.4 *addidit : addiderat* (Summa ex. 62).

Quamquam harum lectionum exemplaris MF peculiarium plurimae indiligentiae librarii debentur, tamen is textum traditum non raro dedita opera uidetur correxisse, ut eum ad usum discipulorum aptiorem redderet; quod et uerba transposita et imprimis formae plusquamperfecti in perfectum uel praesens mutatae testantur.

Nimirum etiam dissimilitudines adsunt, sed earum pleraeque, quantum scio, non ea sunt indole, ut necesse sit negemus M et F ex eodem exemplari transcriptos. Multae enim incuria librariorum explicantur uelut: C 11.5 *in Asiam* M *in Asia* F — 25.4 *perdiderat* M *prodiderat* F — J 10.1 *parum* M *paruum* F — 39.1 *quaesierit* M *quaesierat* F — 45.2 *habere* M *haberet* F — 62.8 *tum* M *cum* F, aliae eiusmodi quas litteratura minuscula ipsius exemplaris, ad quod M F exarati sunt, creare poterat. Aliae dissimilitudines inde pendere possunt, quod alter librarius in scribendo aut errauit aut dedita opera correxit, quod credo factum esse in M: C 21.3 *et ante pedes : f. uestra* — J 27.1 *agitari coepta : ag. coepit* (librarius secundum grammaticae legem formam correxit) — 93.4 *gignentia(um* ss, praecedit pron. *cuncta*) — 94.3 *tormentisque* (*que* e uoce sequenti etiam huc irrepsit) alibi. Tum nonnullae discrepantiae facillime ita explicantur, ut sumamus in exemplari MF et uoces, quae a principio omissae essent, postea adscriptas fuisse et uarias lectiones, quas iam in archetypo Y extare infra uidebimus, etiam hic traditas fuisse. Consideres peto locos tales quales sunt: C 19.1 *eo quod* M (M^2TM^1) *quod* F — J 21.4 *senatus* (*populique romani* om) M *senatusque populi R.* F — 55.4 *erat* om M (om M^1 ss D) *erat* F — 62.1 *saepe et iam et* M (TDM^1) *saepe et iam* F. Neque tamen negare uelim causam dissimilitudinis et nonnullis locis quos adtuli et aliis inde peti posse, quod librarii praeter exemplar commune etiam altero usi sunt. Et F, ubi a M distat, non raro cum P^4 ita conspirat, ut haec similitudo casui uix sit tribuenda. Sed quoquo modo de hac re iudicamus, siue sumimus M et F contaminationi obnoxios esse siue non, certe constat eos ex eodem exemplari quasi patre ortos gemellos esse.

DM^1.

Ad codices MF proxime accedunt DM^1, quae propinquitas con-

sensu omnium quattuor $MFDM^1$ — γ siglo utor — comprobatur. Ergo in hoc exemplari γ nunc deperdito haec menda extabant:

b) C 9.2 *deorum* om MM^1 ss al. m. FD — 31.8 *strepere* (*ob* om) — J 30.3 *superba* (*et* om) *crudelia* (*et* ss D) — 31.7 *multi uestri ordinis* (*mortales* om) — 60.4 *ea* om (cf M^2 *et ea* om).

c) C 39.5 *i n initio* — J 43.5 *t u m magna spe.*

d) C 8.2 *aestimo ego* — 13.3 *cupido somni* — 17.7 *crescere potentiam* — 20.3 *est ausus* (signa transpos. add D) — 36.2 *liceret ab armis discedere sine fraude : sine fr. liceret ab arm. disc.* — 48.4 *de coniuratione indicaturum* — 52.2 *est alia.*

J 31.6 *uos ego* — 31.11 *imperia iniusta* — 33.2 *erat animi* MFM^1 *erat* om D — 47.4 *legatorum promissa* — 57.1 *situm in campo* — 65.3 *habiturum sine mora* — 83.1 *suo periculo.*

e) C 6.1 *agrestium : agreste* — 12.5 *reliquerunt : reliquerant* — 43.2 *magna pars : maxima pars* — 48.7 *nominatum : machinatum* (ss DF) — 52.13 *falso : falsa* (*a* ss D).

J 9.1 *litterulis : litteris* — 14.1 *ducere : — rem* — 16.3 *pollicitando : pollicendo* — 31.25 *sint : sunt* — 49.1 *quid ageret : quae ag.* — 50.1 *temperie : tempore* (*uel ore* ss DM^1) — 58.2 *repentino timore* MDM^1 *timore repentino* F : *rep. metu.*

Praeterea et D et M^1 suis quisque locis cum MF conspirant; quamquam fieri potest, ut M^1 accuratius percusso consensus omnium quattuor etiam pluribus locis restituatur. E mendis, quae in triadibus DMF et M^1MF adnotaui, haec mihi libet adferre:

DMF d) C 48.6 *indicium Tarquinii* — 51.5 *fuit nobis* — J 60.6 *ui magna.*

e) C 13.2 *pro turpitudine* (*uel per — nem* ss D).

M^1MF. b) J 65.3 *ad* (*id* om) *bellum.*

d) C 35.1 *in meis magnis : magnis in m.* — 40.3 *mortem remedium* — 52.32 *uita cetera* — 59.3 *habuisse in exercitu* — 60.2 *agitur res : res agitur* DM^2T (*res geritur* rell) — 60.7 *suae priscae : pristinae suae.*

e) C 55.3 *locus qui : l. quod* — J 1.1 *hominum : humanum*

Contra triadas DM^1M et DM^1F, si ullis, paucissimis mendis communibus laborare uix est quod moneam.

Quoniam igitur libri DM^1 et saepius simul et rarius suis quisque locis cum MF consentiunt, expectandum est, ut lectiones habeant proprias, quae in duobus ceteris desint. Quod etiam fieri loci huiusmodi nos docent:

per ereptum eunt.

DM^1 c) J 85.42 *p e r* *ereptum eunt.* (cf *fidosque faceret sibi* M^2):

d) C 14.6 *sibique fidos faceret* (cf *fidosque faceret sibi* M^2):
fidosque sibi f.

e) C 33.4 *belli : bella* (*la* ss D) — J 48.1 *acerrimum : asperri-*
mum — 55.7 *fuga aut : fuga atque* (credo Dietschium M pro M^1 falso
notasse : ut in M^2 ita in M *atque* traditur).
e quibus lectionibus J 85.42 ante ceteras pro intima cognatione tes-
timonium dicit. Nec tamen D et M^1 tam arte quam M et F cohaerent,
ut sumi liceat ex archetypo γ duo exemplaria transcripta esse, quo-
rum ex altero M et F, ex altero D et M^1 ortos esse. At de hac cog-
natione, cum etiam ceteros libros tractauimus, plura dicemus,
quare ad eas transgrediemur.

M^2T.

Ubicumque inter γ et M^2T commercium est lectionum, Γ
archetypum agnosco. Cumque hic archetypus in tempus satis anti-
quum recedat et quasi auus sit totius familiae, plurimi interest
indolem habitumque eius diligenter cognoscere. Quare mihi igno-
scas peto, si minutiis quoque adlatis in eo describendo diutius com-
moror.

Primum uero in Γ fuisse apparet omnes eas lectiones, quas
tota γ cum duobus M^2T communes habent. In Γ igitur haec menda
tradita erant:

Γ b) J 25.8 *in* om (ss D) — 53.1 *aduertunt* pro *animaduertunt* — 85.29
aut consulatus om (ss m. 2 T) — 102.6 *inopi* om (ss D).

c) C 25.5 *facetiae s a l e s multusque lepos* (*sales* eras M2)
— 30.6 *proemium d e c r e u e r e seruo* (*praemia* F) — 42.2 *p a u l o*
ante.

J 35.4 *confecerat u t insidiatores* — 51.4 *a c cedentes* — 54.6
impositum e s t — 62.1 *merenti i t a prouideat* (*ita* eras TD).

d) C 10.1 *romani imperii* — 52.2 *mecum ipse* — 52.29 *omnia*
prospere M^2MF *o. prospera* TDM^1.

J 21.3 *Romam ab Atherbale* — 38.5 *nubibus atque nocte* M^2TDM^1
nubibus atque(*nocte* ss) MF : *nocte atque nubibus* — 44.2 *bonae spei*
— 60.4 *res Iugurthae* — 71.5 *parauisset perfidia clientis sui facere*
praeuenta (*praeuentum* corr et *uel ta* ss D) : *parau. facere perfidia*
clientis sui praeuenta — 103.1 *sola loca.*

e) C 15.1 *iam pridem : i. primo* — 15.4 *potuit : poterat* — 22.3
aestimabant : existimabant (*existi* ss T) — 51.26 *accidit : accidet* —
52.6 *non de sociorum : neque de soc.* — 55.5 *per indices : uindices*
uel *et indices* uel *ei indices* — 56.1 *cum ea* Γ *um ea* M : *dum ea.*

J 12.4 *perficit* TMFM^1 *perfecit* M^2D : *conficit* uel *confecit* —
14.17 *aut reges : an reges* — 26.1 *curae esse : curae fore* (*fore* ss M^2
m. 2) — 29.5 *per scaurum* Γ *per s* F: *per satiram* (ss TD) —
30.4 *multis eius orationibus* (cf *multis orationibus eius* N) : *multis*
orationem eius — 37.4 *praeparare : properare* — 45.2 *ne quisquam*
ne quispiam — 50.3 *et post : ac post* — 55.4 *eo magis animosior* (cf *eo*
magis animus anxius NK) : *eo magis anxius* (*uel anxius* ss TD) —
62.4 *atque aliorum : et al.* — 62.5 *ex consilio decreto : ex consilii decr.*
(*i* ss TD corr F) — 63.1 *auruspex : aruspex* (*u* del M^2DMF) — 63.7
egregius factus : egregiis uel *egregius factis* — 65.2 *satelliti : -tes* —
73.6 *frequentabant : -tarent* (*bant* exp et *rent* ss M^2 *uel rentur* ss T
uel rent ss D) — 77.3 *naui : (g)naue* (*uel ue* ss D, *bene* ss M) — 80.3 *ad-*
versus : -sum — 81.1 *post ubi : p. uti* — 85.15 *generosum esse* (*est*
corr M^2): *generossissimum* (*uel generosissimum* ss D) — 94.1 *paratus*
: -tis—ibd. *profectus : prospectus* (ss T corr DMF).

Iam hic commemoratum uelim, harum lectionum quas nunc
adtuli nonnullas ut C 52.2, 6, 29 — J. 14.17; 21.3; 44.2; 60.4; 62.4; 63.1,
alias praeter Γ etiam in integris antiquissimis **nm** et in libro **e** locum
habere. Quomodo hic consensus explicari debeat, et quid ualeat
ad originem integrorum incertorumque explorandam, hic non in-
quiro sed in cap. II explicabo. Sed huius rei iam mentionem feci, prop-
terea quod hanc similitudinem, ubicumque aut M^2 aut T adest, sae-
pius nobis occurrere mox uidebimus.

At hic quo de agitur consensus familiae γ et librorum M^2T
multis modis perturbatur: aut unus pluresue libri fam. γ absunt (A),
aut alter librorum M^2T societatem deseruit (B).

A. Prioris generis exempla perpauca sunt, neque dubium esse
potest, quin Γ archetypo tribuamus lectiones quae sunt in omnibus
uno deficiente uelut in:

M^2TDMF (M^1 deest?) C 52.11 *uocatur* om M^2M ss TDF — J 35.2 *urge-*
bat : urgeat (ss T).

M^2TM^1MF (D deest) C 56.4 *sperans : sperabat* (ss T).

J b) 85.45 *imperitiam* (*atque* om) *superbiam* (item T sed nom.
pro acc.; *atque* add. al. m. M^2F).

c) 10.2 *tua f a c t a omittam* — 67.1 *a d arcem.*

e) 16.2 *quia consulibus* (*qui a consulibus* M^2, cf *qui consuli-*
bus HG) : *qui consul* (ss T, *ibus* eras F) — 53.7 *utrorumque* (*utrumque*
per haplographiam (?) D) : *utrimque* (*i* ss D).

M^2TDM^1M (F deest) C 25.4 *perdiderat* (*pro* corr D). — At dissimili-
tudo, quae est in C 30.6 *et sestertiorum ducenta milia* Γ ∽ *et*

ter ducenta CC milia F (*s. sestertiorum* ss) nihil probat, cum *ducenta* alia manus scripserit neque quid a principio scriptum fuerit erui possit.

Similiter Γ uindicanda sunt menda, quae M^2T simul cum altera parte familiae γ, aut MF aut DM^1, communia habent uelut:

M^2TMF J. 69.4 *is* om M^2 ss TMF. — Sed caue, ne nimium tribuas lectioni J 48.3, ubi nom. propr. *Muthula* pro *Muthul* tradita est, cum dittographia — sequitur enim praepositio *a* — ad libros ceteris in rebus ualde dispares pertinere possit.

M^2TDM^1 J 25.6 *primum : primo* — 50.5 *turba* M^2T *turbam* DM^1 : *turma.*

Contra si tres libri fam. γ deficiunt, difficilius est diiudicare quid in Γ fuerit, quod licet rarissime tamen interdum fit. Utrum ex. c. C 50.3 lectionem librorum M^2TD *facere placeat* an librorum M^1MF, qui cum ceteris mutilis *fieri pl.* exhibent, in Γ fuisse credamus? Id enim agitur, cum libri M^2T et MF se aequent, libro D an libro M^1 plus fidei demus. Qua in re equidem non dubito D pluris aestimare, cum M^1 aetate multo inferior sit eamque ob rem in suspicionem deterioris condicionis facilius incidat. Quae cum ita sint, iis locis, ubi M^2TM^1 contra DMF faciunt, uelut:

M^2TM^1: J 10.3 *uitae* om M^2M^1 ss T — 70.4 *habuerat : habebat* — 89.6 *per* ante *cetera* add (ss M)

Γ ab his mendis liberum fuisse uerisimillimum est.

B. Multo maior est numerus locorum, ubi aut M^2 aut T solus a γ stat. Sed cum haec cognatio in Cat. ad utrumque librum pariter fere pertineat — sex enim lectionibus librorum M^2 γ quinque quae sunt in T γ respondent — prorsus alia ratio est in Iug., ubi 8:ies M^2, T non minus quam 70:ies cum γ facit. Cuius tanti discriminis causam infra explicabo, nunc lectiones proferam.

M^2 γ b) C 11.3 *malis* om M^2 ss γ — 15.5 *modo* semel (alterum ss D) — 21.3 *hominem* (*et* om) *familiarem* (*et* eras T) — 41.4 *itaque* (*Q* om) uel *ita Q* (*q* om).

J 60.4 *et ea* om M^2 *ea* om γ.

d) C null. ex.

J 15.2 *magna pars senatus* M^2MF *magna senatus pars* M^1 *magna pars* (ss) *senatus* D (qui h. l. instar est archetypi Γ): *senatus magna pars* — 69.4 *parum sese* (sign. transp. add M^2) — 85.44 *mores mei* (sign. transp. add D).

e) C 3.2 *dictum : dicta* — 10.2 *tolerauerunt : -rant.*

J 13.5 *tunc : tum* — 25.11 *ac tum etsi : ac tametsi* (*tam* corr F)

— 52.3 *sicut : sicuti* — 80.6 *habeant* M^2MFM^1 *habe|ant* (*b* eras) D : *habent* — 81.4 *moras* (*moram* ss T) : *mox.*

Ex ceteris lectionibus societatis M^2 γ paucas adnotatione dignas eligam:

M^2M^1MF c) C 36.2 *e t Catilinam et* — 60.5 *c o n tendere.*

e) J 37.2 *tribuni* |(*s* eras) — 92.3 *corrumpuntur* M^2 *corrumpunt* M^1 *corrumpit* MF (cf *corrupit* P^1): *complentur.*

M^2MF J 35.5 *mandata regis* (cum sign. transp. M^2) — 44.5 *libuit : libebat.*

M^2F J 31.19 *damna* (*atque* om) *dedecora* — 101.4 *hostes* ss al. m.

M^2M^1 C 6.6 *imperium* — *habebant* in mg M^2 (al. m) M^1.

Ad T γ transgrediens non totam copiam lectionum enumerabo, sed omnium generum paucas excerpam summamque lectionum quas inueni addam. Consensum horum quinque librorum in sequenti parte huius disputationis γ′ siglo significo.

γ′(=**T**γ) Cat. b) 40.1 *praeterea* om γ ssT.

c) 17.7 *e t cuiusuis opes* (cf *cuiusuis opes*[q] M^2).

e) 19.6 *superiori : -re* — 30.6 *indicasset : -uisset* — 52.29 *uotis atque* (item Pm. 1) : *u. neque.*

Iug. b) 31.7 *G(aius)* om γ ss T — 31.25 *iam* om — 50.3 *repente* om γ ssT — 101.1 *ab* ante *oppido* om (ss D) — 101.4 *e* ante *missis* om γ ssT (9 ex.).

c) 24.7 *clausum t e n e t a t q u e obsidet* — 57.4 *alii euadere u e l s u c c e d e r e u e l m u r u m a s c e n d e r e ac murum* (*muros* pro *murum* D, uoces additas exp D eras F) — 91.3 *proxima n o c t e* (7 ex.).

d) 28.3 *illi infectis rebus ita domum reuersi sunt : ita inf. rebus illi dom. discedunt* — 31.14 *ignauiam translulere uestram : ign. uestr. tr.* — 35.7 *fit magis ex aequo bonoque reus : fit reus magis ex. ae. b.* — 41.5 *in duas partes omnia : o. in d. p.* — 44.4 *aestiuorum temporis* — 46.5 *cultores pecoraque : pecora cultoresque* — 50.4 *hostibus obuii* γ *obuii* ssT — 80.3 *sui ad studium : ad stud. sui* — 102.13 *factam suam* (38 ex.).

e) 38.9 *ferroque : et ferro* — 52.1 *pugnabant : certabant* — 56.3 *ob frumenta : frumentatum* (ss TD corr F) — 58.5 *uictorie : uictore* (corr MF) — 74.3 *concursu : congressu* (ss TD) — 101.11 *confecta : inf.* (*in* ss TD) (15 ex.).

In hac tanta concordia librorum dignum est quod animad-

uertatur librum D a ceteris circa 20:ies distare, cuius rei probandae causa haec exempla adfero:

γ′(—D) b) J 1.3 *bonas* om (ss T) — 4.8 *tenent* pro *sustinent* — 63.4 = 97.2 *eius* om.

c) J 10.8 *colite e t obseruate* — 46.5 *imperarentur p o r t a r e u e l facere.*

d) J 1.4 *actores culpam* — 43.1 *inter se proiuncias* TMM^1 *prouincias* ss F: *prou. i. se* — 50.5 *equites ab Iugurtha* — 85.12 *homines praeposteri.*

e) C 5.9 *imminuta : immutata* (ss T) — 59.1 *omnibus : omnium* (in abl. absol. *remotis omnium equis.*)

J 10.6 *boni fueritis : b. eritis* — 42.1 *et nomen : ac n.*

Prae hoc numero lectionum pauci sunt loci, quibus auctore Dietschio M^1 deest:

γ′ (—M^1) J 18.2 *neque imperio : aut imperio* — 31.9 *hostibus omnia : o. h.* — 73.7 *frustra erat : f. fuit* — 74.1 *uirtute : uirtuti* (*ti* corr TD) — 75.3 *leuare : leuari* (*ri* corr F).

Praeterea T aut cum MF aut cum DM^1 pariter fere se consociauit, ut

TMF b) J 37.3 *quem* (*pro* om) *praetorem* (*pro* ss T).

d) C 4.2 *mala ambitio* — J 13.9 *legati ubi* — 85.10 *sui officii* (item P^4).

e) C 47.2 *tertium fore : t. esse* — 58.13 *uitam agere : aetatem agere* — J 24.6 = 38.9 *dein : deinde.*

TDM^1 d) J 42.4 *mortales multos* — 46.7 *equites auxiliarios* — 50.6 *facile equi* — 53.1 *arma properantes* — 53.2 *clamore magno* — 75.7 *uis aquae missa* (cf *missa* ss F) : *missa uis aquae* (ergo arch. Γ = F) — 101.10 *fusi undique.*

Haec omnia genera lectionum quae adhuc adtuli docent T librum neque a MF neque a D aut M^1 totum stare sed quasi sui iuris esse. Accedunt tamen loci nonnulli, ubi T cum M^1 uno conspirat, qui pro arta propinquitate librorum TM^1 testimonium dicere mihi uidentur, uelut:

TM^1 c) J 28.1 *u t omnes mortales : omnes u t mortales* M^{2}DMF (unde concludi licet *ut* in Γ supra scriptum fuisse) — 31.25 *moneo e t hortor* — 43.3 *milites eligere p r a e s i d i a scribere : milites scribere* M^2 *milites eligere* D *mil. scribere eligere* MF — 98.1 *quam c u m familiarissimis* (*cum* del T).

d) J 64.6 *firmiora eo uidebantur* T *eo uidebantur firmiora* M^1: *eo f. u.* — 96.2 *ea quam aes properantius : ea prop. quam aes.*

e) J 15.3 *uindicandum : -dam* — 16.2 *decretum fuit : d. fit* (*fit* ss T) — 24.9 *et haec quae : et illa quae* (*illa* ss T) — 61.3 *quieti ac : q. aut* — 72.1 *oppressit : -erat* — 91.1 *quinto die : sexto die.*

Videmus igitur libros M^{2}T et coniunctos et suis quemque locis lectiones cum γ communes habere neque tamen omnium uitiorum γ partis participes esse. Sequitur ut M^{2}T alteram partem familiae Γ efficiant, quam δ significo. Et ea quaestio suboritur, cognatione librorum M^{2}T alio modo appareat, i. e. hocne exemplar δ, e quo originem duxerunt, sua quasi signa et notas habeat. Cui quaestioni optime respondebimus lectiones M^{2}T uel δ proprias enumerando, primum eas, quae in nullis aliis libris nisi in his duobus inueniuntur, tum eas, quas praeter M^{2}T integri **nm** et **e** habent.

In M^{2}T s o l i s haec leguntur:

a) C 45.1 *Promptinio*; *Promptino* BKGHMM^1 *Pomptino* X ND (ss *r*) F [sed altero loco C 45.4 et M^2 et T *Promptinum* exhibent, *Promptinium* in G uno extat].

b) C 46.5 *per* ante *ducit* ss M^2 om T — 55.1 *ad* ante *supplicium* ss — J 44.4 *in* om — 45.3 *a delictis* om M^2 *magis a delictis* T : *a del. magis* — 74.3 *eius* om M^2 ss T (cf *omnes eius* P^4).

c) C 2.4 *nam q u e imperium* (*que* add **m**) — 11.6 *d e spoliare* (item ex corr. **m**) — 49.3 *e o quod is* (*eo* ss M^1).

J 65.2 *honorem e o quod.*

d) C 3.1 *reip. bene facere : b. f. r. p.* — 11.4 *re p. recepta* — 15.1 *cum Vestae sacerdote cum uirgine nobili* (item **m m.** 2): *cum uirg. nob. cum V. sac.* (M^2 m. 2) — 20.6 *in libertatem uindicamus* (= **m** m. 2): *uind. in lib.* — 21.4 *praedae ea* — 23.3 *nobili muliere* (= P^4) — 52.4 *reliqui fit.*

J 14.14 *nobis coniunctum fore* M^2 *coniunctum fore nobis* T: *coni. nobis fore* (in δ igitur *nobis* supra scr. fuit) — 64.5 *sibi si* (cf *exercitus si sibi* om F) — 76.1 *profugit noctu.*

e) C 40.1 *bellicosa erat : b. esset* (*esset* ss M^2) — 51.38 *bonos : bonis* (ss T) — 52.25 *dubitamini* (praecedit uerbum *cunctamini*) : *dubitatis* (*tis* ss T) — 57.4 *in fugam : in fuga.*

J 7.4 *romanus* (ss P^4 e): *romanis* — 57.3 *denique : deinde* — 64.5 *maxima multitudo : magna m.* — 66.1 *incepit : incipit* — 97.2 *ipse : ipsi* γ Tm. 2: *ipsique* rell — 98.1 *dimisso : dem.*

Loci cum **n m e** aut omnibus aut binis singulisue consentientes hi sunt:

b) C 52.16 *me* om.

c) C 16.3 *a u t manus aut* — 51.33 *a u t domum aut.*

d) C 10.1 *sed ubi res p. iustitia creuit atque labore : sed ubi labore atq. iust. resp. creuit* — 16.4 *memores ueteris* — 20.8 *repulsas nobis reliquere pericula iudicia : nobis rel. peric. repulsas iud.* — 21.1 *armis praemia* — 35.3 *alienum aes* — 37.2 *uidebatur more suo* M^2 *ne uidebatur suo more* T m : *more suo uidebatur* — 37.3 *omnia mutari* — 46.2 *reip. perdundae* — 51.15 *minores cruciatus omnes : omn. cruc. min.* — 51.36 *gladium consul* — 51.37 *neque umquam audaciae* M^2 n m e (*audacia* m) *audaciae* ss T: *neque audaciae umquam* — 52.11 *rerum uocabula* — 52.18 *infirmior animus* — 58.17 *est maximum* — 61.1 *fuisset uis.*

J 35.1 *ea tempestate erat : erat ea temp.* (sign. transp. add T).

e) C 19.2 *quamplures : complures* — 48.4 *atque Cethegus : et C.* — 51.4 *populi atque reges : reges atque pop.* — 51.40 *tunc : tum* — 53.4 *superasset* (item K) : *superaret.*

J 50.5 *turba* (item K, cf *turbam* DM^1) : *turma* — 60.6 *tum oppidani : cum op.* — 69.2 *uulgus : uulgum.*

Accedunt loci, ubi aut M^2 aut T cum iisdem illis libris facit, ut:

M^2+n *cet.* : b) J 10.3 *te om.*

c) C 20.1 *c o m memoraui* — 51.33 *a u t uas aut.*

d) C 27.1 *fore sibi credebat* M^2me (cf *sibi* om **n** *sibi credebat fore* T) : *sibi fore credebat* — 37.2 uide supra!

J 2.2 *huiuscemodi omnia* — 6.2 *aetate sua* — 12.3 *uenturum manu* — 74.1 *spem in armis.*

e) C 51.41 *hanc ergo : h. ego* — 52.12 *habeant : habent.*

J 1.5 *multumque : multaque.*

T+e *cet.* : b) C 52.25 *etiam nunc* (om *et*; cf *etiam et nunc* M^2N).

c) J 12.5 *se s e.*

d) J 38.5 *alii capere arma alii : arma capere alii alii* — 64.2 *satis suas res* T (cf *suas res satis* **n e**) : *res suas satis.*

e) C 3.1 *obsurdum : abs.* — 37.7 *tolerauerant : -rat* (n exp **Te**) — 41.2 *certum praemium : certa praemia.*

J 50.6 *eo uero : ea uero* — 64.5 *facto alio* (item K) : *f. aliquo* Γ′N (*qu* ss T) : *f. ullo* — 67.2 *imbecilles : imbelles.*

Id igitur constat hoc exemplar, e quo M^2T orti sunt, multas similitudines cum integris illis praedictis habuisse, i. e. ŏ magnam partem ex eodem fonte quo illos manasse. Si hunc fontem Δ uocamus, ŏ exemplar ex Γ et Δ compositum est. Et animaduertendum est similitudines, quae sunt libris M^2T cum integris, in Iug. expectatione pauciores esse. Nam quamquam Iug. tribus partibus maior

est quam Cat., tamen numerus huiusmodi similitudinum non modo non Cat. aequat sed dimidio fere minor est. Cuius rei causa non inde petenda est, quod is qui ŏ conscripsit in Iug. Δ neglecto ad Γ multo plus se adplicauit, sed quod ipsum exemplar Δ multo paucioribus proprietatibus imbuebatur: illi enim integri in Iug. plerumque cum XNK consentiunt.

Sed si M^2T ex eodem exemplari ŏ orti sunt, tamen ab hoc non toti pendent: et M^2 et T ex altero exemplari — neque tamen duo eodem — multas lectiones sumpserunt. Contendo igitur textum horum codicum contaminatum, non purum esse. Iure a me quaeris, quae sit causa cur huic opinioni indulgeam. Respondeo me aliter explicare non posse, qui fieri potuerit, ut hi libri et simillimi sint, multis et propriis lectionibus imbuti, et tot tantasque dissimilitudines perhibeant. Ut alias discrepantias minores omittam, satis est monstrasse quotiens in Iug. T cum γ, M^2 cum ceteris mutilis faciant. Ergo ut uterque liber in Cat. pariter fere altero suo fonte utebatur, ita in Iug. T multo longius a ŏ recessit, M^2 autem eundem cognationis locum occupauit.

Ceterum huius contaminationis uestigia hic illic aperte prodeunt. Sed de hac re in eo capite plura dicam, quo de uniuersa stirpium X et γ ratione agam. Nunc unum exemplum adferam, quo contaminatio libri T dilucide perspiciatur: J 103.1 in T legimus *per omnes perfugas*, quae lectio nos docet in T quasi duos riuos confluxisse *perfugas omnes* et *omnes perfugas* (= H γ).

H.

Denique H librum e Γ oriundum esse permultae demonstrant lectiones, quae et in H et in omnibus reliquis huius familiae libris locum habent. Lectiones communes hae sunt:

Γ′ (= H Γ): b) J 14.22 *iam* semel (ss T) — *25.4*[1] *usi* om M^2MF ss HTDF — 46.8 *incertum* pro *in incerto* (ss TF) — *61.5 metuenti* (*ne* om) *si* (om M^2) — *74.1 posset* (*et* om) *nouorum.*

c) J *65.3 ingentem uirum* (*u. ing.* D) *e s s e* (eras M^2) — 85.15 *generosum* (*generosissimum* H) *e s s e.* — 91.1 *simul e t inopiam.*

d) J *13.6 uti primum* — 14.5 *sunt a uobis recepti* HM^2 DM *sunt a uobis accepti* T *sunt recepti a uobis* MF: *a uob. rec. sunt* — *14.5 instituit amicitiam* — *14.17 monimenta hostilia* (*hostilia* om F) — *14.23 has omnes* — *20.3 hostiliter loca* — *20.4 dolore permotum Atherbalem : Ath. dol. perm.* — *21.2 foret*

[1] Numeris stilo cursiuo pressis lectiones indicantur quae etiam in integris **n m e** aliis inueniuntur.

bellum — *22.2 carius esse auctoritate senatus : car. auct. sen.*
esse — *23.2 fortunas suas (suas* ss M²) — *24.2 me extinguendi*
— *38.5 tumultu perculsi* — *44.5 amplius alia* (*alius* H)
— *48.3 milia uiginti passuum : mil. pass. uig.* — *50.3*
montem occupat peditum : ped. montem occ. — *51.4 ullum*
munimentum — 54.3 *munita receperat natura : nat. mun. rec.*
(sign. transp. add D) — *55.1 tamen uictor fuisset uirtute :*
uict. tam. uirt. f. — *55.2 fama de Metello* — *60.7 confecti*
uulneribus — *67.3 profugit intactus* — *74.1 paulo post* —
74.1 popularium an fidei : an p. f. — *75.6 aquam oppido* —
79.1 locus nos.

e) C *26.5 uenit ac : u. et.*
J 29.3 acceperat : accepit — *39.5 agendum : agitandum* (*uel*
agit ss D) — *40.3 quantum intenta : quam int.* — *45.2 primo : pri-*
mum (*uel um* ss D) — 46.5 *obuiam : obuii* — *50.6 a tergo : ab t.* —
63.1 omnia : cuncta — 63.5 *alios post alium : alium p. a.* (*alium* corr
F *um* ss H) — *70.3 consiliis : -lio* (*uel o* ss D) — *77.4 quod petebant :*
quae p. — 96.2 *rapere : repetere* (ss TDF) — 97.3 *quod locorum :*
quia l. — 102.7 *dein quod : d. quia* — 102.11 *haec in : hoc in.*

Postquam lectiones adtuli, pauca adnotabo. Primum obseruandum est omnes locos uno excepto in Iug. inueniri. Γ igitur exemplar multo saepius in Iug. quam in Cat. a ceteris mutilis dissidet. Cuius rei causam in eo sitam esse credo, quod, ut librarii in principio scribendi maiore diligentia uti solent postea languescentibus animis crebrius errant, ita librarii Sallusti, qui in Cat. exemplaria sua accuratius transcribebant in Iug. multo maiore socordia agebant. Contempleris peto quoties uerba transposita sint.

Tum uidemus omnium plurimas lectiones quas enumeraui etiam in integris **n m** et **e** aliisque, i. e. in Δ, locum habere. Ex quo euidentissime elucet Δ exemplar Γ affine esse et simul cum hoc ex Y originem ducere. Propter ea, quae de M²T nuperrime disputaui, offendere non debet quod M²T passim absunt. Itaque ne dubitaueris in Γ collocare non modo lectiones

Hγ′: J 5.2 *condicio* (c̄|||| D) : *contentio* (corr HM¹) — 9.3 *cum filiis pariter: par. c. f.* — 41.10 *terreri* (cf *terre re* K) *: terrae oriri* (*ori* ss D, *uel terrae oriri* ss MM¹, *ri* eras *oriri* ss F) — 53.8 *repente* om — 103.1 *omnes perfugas* H γ *per omn. perf.* T (cf supra p. 35).

HM² γ: C 32.1 *praeuenire antecapere : praeu.* om (exp. H) — 43.1

uenissent : uenirent — 44.1 *postulandum : postulant(lant* ss D corr M¹MF) — 46.2 *opus sit: o. esset* — 51.39 *de condemnatissimo supplicium* (*summum* ss) *: de condemnatis summum suppl.* (corr F).

J 64.2 *mirari* (*primum* om) *eius* — 70.2 *qui* om

sed etiam eas quae sunt in

H γ: C 26.2 *illi tum ad : i. tamen ad* (corr F) — 52.27 *uertatur* (*uertat* corr et *conuertat* ss D; cf *uertat* N) : *conuertat(ur)* — 54.3 *perfugium* (*erat* om).

J 19.7 *usque* (*ad* om) *flumen* — 83.3 *probare partim partim abnuere* (cf *partim* semel NM² al.) *: prob. partim alia abn.*

Restat ut stemma constituamus:



4.

Quae sit ratio inter Z et Γ et qualis fuerit archetypus Y quaeritur.

Quoniam multis lectionibus prolatis duas familias Z et Γ constitui, et utramque ab eadem stirpe Y oriundam esse lectionibus communibus et quae ab altera stirpe X dissideant antea comprobaui, restat ut qua cognatione hae familiae contrahantur accuratius disputem. Neque indicia desunt intimae familiaritatis. Ut fieri solet, rarissime omnes libri totius stirpis conspirant, creberrime aut unus aut plures et huius et illius familiae ceteros deserunt. Multis igitur et uariis modis cognatio familiarum perspicitur, neque tamen in animo est omnia genera nexuum exemplis probare, neque hoc modo ad cognationem familiarum eruendam multum proficeremus. Satis erit lectiones maioris momenti eligere. Et quo condicio singulorum librorum melius illustretur, has lectiones ita componam, ut p r i m u m eas

adferam, quas unus liber familiae Z cum Γ communes habeat, paucos addens locos, ubi e consensu exierit pars maior minorue familiae Γ, ut ea re, quantum fieri possit, eliciatur qui libri Γ cum illo libro fam. Z coniunctiores sint (A), t u m eos locos enumerem, ubi bini codices NK, NG, KG cum Γ faciant, hic quoque similiter atque in (A) paucos adnectens, ubi consensus ad partem quandam fam. Γ pertineat (B), d e n i q u e locos commemorem, ubi inter totam Z (NKG) et Γ uel partem Γ concordia adsit (C).

A.

1. **N** Γ′ J 23.1 *erigere : adrigere* (K deest) — 39.4 *ut conuenerat : uti c.* — 53.7 *apud alterum : ap. alteros* (corr TF) — 54.9 *consilium exercitum* (exp ND) *capit : exercitum cons. capit* — 56.5 *agunt : gerunt* — 57.4 *alii euadere succedere* (*n* ss) *ac murum* N *alii euadere ac murum* H *aut euadere ac murum* M^2 *alii euadere uel succedere uel murum ascendere ac murum* γ′ : *alii succedere ac murum.*

N Γ C 52.26 *etiam* om (ss F) — J 30.4 *ex tam multis orationibus eius* N *ex tam multis eius orationibus* Γ : *ex tam multis orationem eius.*

NΓ(**-D**) J 10.1 *ego te Jugurtha : ego Jug. te.*

NM^2**T** C 46.3 *ad se : ad sese.*

NM^2**D** C 47.3 *ex* om (ss D).

NM^2 J 80.3 *ingressus* (*ad* ss) *: adgressus.*

NT C 58.17 *in proelio* ss — J 80.5 *bello : belli.*

2. **K** Γ′ J 85.24 *mea me* (*me* om D) : *meamet* (corr al m. F).

KH γ′ J 41.10 *terreri* H γ′ *terrere* (exp *re* add *oriri*) K : *terrae oriri* X M^2 *terrae fore* (exp et ss *oriri*) N *terrae atq. maris oriri* G.

KHM^2 γ J 6.1 *luxu : luxui* (corr DF).

KH (**T**) J 59.2 *conterriti* KH *perterriti* T : *territi.*

K Γ C. 60.2 *res agitur* KM^{2}TD *agitur res* MFM^1 : *res geritur.*

KM^2**TDM**^{1} J 50.5 *turba* KM^{2}T *turbam* DM^1 : *turma.*

KM^2**TMF** C 30.6 *& s. c.* om.

KM^2**T** C 53.4 *superasset : superaret.*

KM^2 C 21.4 *increpat : increpabat* — J. 5.3 *agnoscendum : cognoscendum* — 60.7 *quomodo: quoquo modo.*

3. **G** Γ′ b) J 51.1 *hostes* (*atque* om) *ciues* — 61.4 *Massiuae nece* (*de* ss H in mg T om rell)

d) J 85.45 *est ibi* (*ibi* om F) : *ibi est* — J 93.8 *quinque numero* — 95.4 *pudet magis an piget : pude(a)t an pige(a)t magis* — 97.2 *tertiam partem* — 98.4 *dispersos milites paulatim : paul disp. mil.* — 100.4 *in munimentis super uallum : s. u. i. m.* — 101.8 *Mauris* (*Mauros* G) *ab latere : ab lat. M.*

e) J 4.4 *adeptus sum : ad. sim.* — 75.2 *oppido : oppidi* — 84.3 *negare : abnuere* — 85.22 *uita eorum : u. illorum* (*ill. u.* P) — 98.6 *quod non : quia n.* — 99.2 *atque horribili : et h.* — 100.1 *ac in : atque in* — 102.7 *primum quod : pr. quia.*

G Γ′ (**-M**^{2}) J 25.3 *deuictum est : est* om — 84.1 *Numidiam prouinciam : pr. N.* — 94.2 *ascendens et descendens : asc. descendensque.*

G Γ′ (**-T**) J 74.3 *fere : ferme* (ss G, K deest).

G Γ′ (**-D**) J 26.1 *itali : italici* (*ci* ss T) — 31.4 *sint : sunt.*

GHMFM^1 C 5.4 *parum sapientiae : sap. p.*

GHFM^1 C 5.7 *animus in dies* HF *dies* om G *animus* om M^1: *in dies an.*

GHD J 9.3 *imperatorum : -ris* (ss D).

GHT C 32.1 *ipse* om GH ss T — J. 79.6 *profectu* (ex *perf.* T) : *prospectu* (corr G).

GH b) C 51.35 *haec* om G ss H — J 5.7 *deliquerat* (*re* ss G) : *dereliquerat* uel *reliquerat* — 73.1 *adtegrum* (*in* ss) : *ad integrum* (K deest).

c) C 10.6 *factum e s t.*

d) C 31.7 *seruaret eam* — 38.3 *uerum paucis* — J 13.7 *legati Romam.*

e) C 14.3 *conuincti* (*conuicti* corr) — 18.5 *ianuarii* — 19.5 *relinquimus : -emus* — 35.3 *non quia : non quin* — J 7.7 *familiares* (*i* ss) : *familiari.*

G Γ b) C 14.7 *quod* om (cf *quod* exp N eras **e**) — J 37.3 *magnis* (*que* ss T add al. m. F om rell).

c) J 24.10 *deprecor u t e u a d a m* (eras T, cf *scil. ut euadam* ss H) — 28.1 *omnes u t mortales* GM^{2}DMF *u t omn. m.* TM^1 — 28.6 *transuectae s u n t.*

e) C 55.5 *per indices* (*per* in ras G) : *et indices* PK (eras *et* ss *per*) *ei indices* P^1 *indices* BP^{4}N (*et per* i. m. 2) H (sed eras *et uel per*?) — J 48.3 *humo* (ss *uel i* D) *arida atque arenosa : humi arido atq. arenoso* — 80.6 *quod singuli : quia s.* — 101.2 *abeuntes : redeuntes* (ss T).

G Γ (**-M**^{2}) J 50.3 *deinde : dein.*

G Γ (**-T**) C 42.1 *Brutia : Brutio* (corr D) — 47.3 *abdicatus : abdicato* — J 85.44 *mores mei* (sign. transp. add D) : *mei mores.*

G Γ (**-D**) C 56.4 *sperans : sperabat* (ss T) — J 98.3 *editus : edita.*

GM^{2}T C 18.2 *dederunt* GT *dedere* M^2 : *dederant* — J 14.18 *occidendum (nobis* om) GM^2 *nobis occ.* T : *occ. nob.*

GM^2 b) J 14.21 prius *aut* om — 19.3 *inter* (*que* om).

d) J 31.20 *iudicia atque bella paces* G *atque* om M^2 : *iud. bella atq. pac.* — 101.1 *die denique* G (cum sign. transp.) *denique* om M^2 : *den. die.*

e) C 20.7 *tetrachae : tetrarchae* — J 10.2 *honorasti : honorauisti* — 85.9 *uenit* (item m. 2 K) : *uertit(ur)*.

GT C 51.16 *dixerat : -rit* — J 18.7 *ipsos : ipsi* (*ipsis* H) — 30.1 *quoquo modo : quoque m.* — 33.4 *magis manifesta : man. magis.*

G γ' (**-D**) J 2.1 *ex* (*et* G) *anima et corpore : ex corpore et an.* — 17.7 *utque* (*ut qui* D) : *utique.*

G γ C. 1.7 *indiget : eget* — 31.8 *strepere : obstr.* — 44.5 *esse uirum* (cum sign. transp. G) : *uirum esse.*

GM J 39.2 *consulebat*]*utrum foedus quod pepigerat cum Jugurtha firmum et sic factum perduraret necne* ss (in mg al. m. add K, eadem fere in textu habent integri **ls**).

B.

1. **NK** Γ' C 58.2 *cuique : cuiusque* — 61.8 *qui de : qui e.* J 13.1 *diuulgabatur* (*de-* N) : *di(e)uulgatur* — 41.3 *discessit : dec.* — 58.3 *si Numidae : sin N.* — 64.5 *facto alio* KT *facto aliquo* rell : *f. ullo* — 94.1 *qui et centuriae praeerant : qui e centuriis erant* P *qui centuriis praeerant* Σ G *qui ascensuri erant* P^1.

NK Γ' (**-M^2**) J 85.33 *hostes : hostem.*

NKHM^2 C 37.10 *aliarum quam : al. atque.*

NK Γ C 47.3 *haberentur* (*tenerentur* MF) : *habeantur* — 55.1 *in sententiam Catonis : in Cat. sent.* — J 62.3 *traderet : -re.*

NK Γ (**-T^2**) J 60.1 *in se : in sese.*

NKM^{2}T C 10.5 *et ambitio : et* om — 33.1 *neque quod : n. quo.*

2. **NG** Γ' J 33.4 *uera aperiret : uerum aperiat* (*aperiet* P^1) — 44.1 *Sp. Albini proconsulis : a. Sp. Albino proconsule* (corr GTF).

NGM^{2}F J 51.5 *nec Jugurtha* NGF *neque Jug.* M^2 : *ne Jug.*

NGM^2 J 2.4 *luxum atq. ignauiam : l. et ign.*

3. **KG** Γ' C 26.3 *commemoraui : memoraui* — 26.5 *petitones* (*nes* exp H): *petitio* — J 9.2 *certe scio : certo s.* — 14.3 *sed ea si* GH M^2MFM^1 *si* om K ss D *sed*||||T (*si ea desideranda erant* ss) : *secundum ea si* — 42.1 *uendicare : uindicare* — 76.1 *una die uno d.* — 85.29 *hastam* (*hastās* G) : *hastas.*

KG Γ' (**-T**) C 48.7 *aestimarent : existimarent.*

KGH γ C 13.3 *non famem non sitim : n. f. aut s.* — 23.2 *ipsa* (item m. 2 T) : *ipse* — 25.2 *atque latinis : et lat.* — 26.4 *clientum : clientium* — 39.6 *usui foret bello : us. b. f.* — 49.4 *circa : circum.*

KGHMF C 51.22 *uitam eripi* (*uel uitam* ss M^2) : *animam er.*

KGH: b) C 51.17 *eius* om.

e) C 14.1 *flagitiosorum atque facinorosorum* (item m. 2 NM^2T): *flagitiorum atque facinorum* — 21.1 *omnes : homines* (H in mg) — 30.2 *Capuae aut in* (*in* ss H) : *C. atque in* — 35.3 *possem et cum* K *possem cum et* GH (*cum* ss P^4TD) : *possem et* P Γ *possem sed* P^1P^4 *possem sed et* P^2N — 51.20 *citra* (*ultra* ss)G *cetera* (*ultra* ss)H *ultra* in ras al. m. K (ut dubium esse nequeat, quin in K *citra* uel tale quid scriptum a principio fuerit).

KG Γ J 43.5 *ex uoto* KG *ex uoto sententia* M^2 *ex uoto ex sententia* γ': *ex sententia* — 70.4 *inultus : -is* — 97.3 *aderat* (*et* om) : *aderat et.*

KGM^{2}T C 50.2 *liberos : libertos* (ss G m.1).

KGT C 58.1 *uerba uiris uirtutem* K *uiris* ss GT : *uiris* om. J 56.3 *discessit : discedit* — 79.6 *exortus* ex *coortus* — 94.2 *prae se* (recte!) : *pro* uel *per se.*

KG γ C 21.1 *neque spes neque res : n. res n. spes*

C.

Z Γ C 14.5 *molles et aetate fluxi : m. aetate et fl.* ΣH *m. etiam et fl.* Π

Z Γ (**-F**) J 65.3 *in imperatorem : imperatorem* ΠF (*in* ss) *imperatori* Σ *imperator* ||| H.

Z γ' C. 15.2 *qui quod ea : qui* om — J 89.1 *constituerat : statuerat.*

ZM^{2}TD C 59.2 *reliquorum : reliquarum.*

ZM^{2}TM C 24.2 *suam aut : sua aut.*

In hac tanta turba lectionum, quae libros alium alio trahunt, difficile sane uidetur de ratione familiarum et de habitu archetypi Y certi aliquid proferre. At sunt quaedam, quae lectiones supra enumeratae nos doceant. Primum ipsa multitudine societatum, quas hae duae familiae inter se contraxerunt, opinio nostra uehementer stabilitur existimantium utramque ex eodem fonte Y fluxisse. Tum cognatio librorum, quam iam cognouimus, his quoque lectionibus optime confirmatur: in Γ' eaedem atque antea partes nobis occurrunt, ut H non minus quam M^2T aliquantum a γ recedat; et in Z paria librorum NK et KG tertium par NG lectionum et numero et pondere multo superat atque adeo opprimit. Deinde apparet Z cum ծ (M^2T) multo coniunctiorem esse quam cum γ, quoniam quidem in omnibus fere

generibus societatum M²T una rarissime absunt iidemque libri aut simul aut suis quisque locis Γ deficiente cum Z eiusque singulis libris consentiunt. Itemque lectionibus confirmatur H librum multo longius a N quam a KG distare. Neque dubium esse potest, quin e Z liber G imprimis cum Γ, siue H accedit siue non, artissime cohaereat. Denique hae lectiones satis docent totam familiam Z atque familiae Γ' et H et M²T et D saepenumero a X stare. Et ut in libris M²T huius rei causa a contaminatione eorum iam probata certe petenda est, ita per se uerisimile est hoc idem ad ceteros pertinere. Atque Z libros non modo ex Y sed etiam e X pendere sequenti paragrapho demonstrabo.

Quae cum ita sint, Y archetypum agnosco, ubicumque unus aut duo libri Z cum tota Γ aut firmiore huius familiae parte concordant. Neque tamen discrepantiae, quarum in Y magnus est numerus, omnes ita explicari debent, ut libri quidam multa e X mutuati sint. Fieri etiam potuit, ut librarii textum archetypi suo Marte corrigerent. Quod factum esse multae lectiones MF, γ, M²T, Γ documento sunt. Accedit, quod ipse habitus archetypi discrepantias creare poterat. Quo de genere discrepantiarum pauca adnotabo, simulque qualis fuerit archetypus Y ostendam.

Ipsi l i t t e r a t u r a e m i n u s c u l a e et c o m p e n d i i s litterarum crebro adhibitis multae dissimilitudines librorum debentur, uelut:

i n u o c a l i b u s:

a:o C 3.1 *obsurdum* M²T : *absurdum* — 50.6 *eo uero* : *ea uero*[1] — J 31.17 *omittere* γ' (cf *o* ss N) : *amittere*.

a:u C 3.2 *dictum* M² γ : *dicta* — 10.2 *tolerauerunt* M² γ: *-rant* — 26.2 *tum* H γ : *tamen* — J 25.11 *tum* M² γ : *tamen* — 29.5 *scaurum* Γ : *satiram* — 40.2 *periculum* γ' : *-la* — 85.32 *profuerunt* Γ' : *-rant*.[2]

e:i C 19.6 *superiori* γ' : *-re* — 51.26 *accidit* Γ (-M¹?) : *accidet* — J 12.4 *perficit* γ' : *perfecit* M²D : *conficit* uel *confecit* — 13.1 *deuulgabatur* N : *diuulgabatur* KΓ' — 13.6 *possent* γ' (-D) : *possint* — 29.5 *transegit* G Γ' : *transigit* — 75.3 *leuare* γ' : *leuari* — 77.3 *naui* Γ : *naue* (corr T, uel *ue* ss D) — 97.2 *ipse* M²T : *ipsi* γ : *ipsique* — 98.1 *dimisso* M²T : *dem*.

---

[1] Ut hoc uitium existeret, nimirum *o* aduerbii *uero* adiuuit.

[2] Hoc ex. minus probat, cum fieri possit, ut librarius plusquamperf. in perf. consilio mutauerit.

o:u C 51.39 *condemnatissumo* HM² γ : *condemnatis summum* — J 16.4 *aggressos* NM²TDM¹ : *aggressus* — 45.2 *primo* γ' : *primum*.

o:u:a J 85.22 *tantum* HM² : *tanta* K : *tanto*.

i n c o n s o n a n t i b u s:

b : c J 48.3 *ac natura* γ : *ab nat.* (uel *ab* ss D).

b : t J 81.1 *ubi* Γ : *uti* (corr. F).

c : t J 36.3 *at* H γ' : *ac* F rell — 60.6 *tum* M²T : *cum*.

f : sp J 94.1 *profectus* Γ : *prospectus* (ss T corr DMF).

m : nc J 13.5 *tunc* M² γ : *tum*.

i n l i t t e r i s c o n t i g u i s:

C 48.7 *n o m inatum* γ : *m a c hinatum* (ss DF) — J 5.2 *con dicio* H γ'c̄ [illegible] D : *con t e n tio* (corr H) — 29.5 *s c a u rum* Γ : *s a t i-ram*.

i n c o m p e n d i i s p e r m u t a t i s:

c̄ : ī J 101.11 *confecta* γ' : *infecta* (*in* ss T).

p̄ : ꝑ J 37.4 *praeparare* γ' : *properare*.

ꝑ : ꝓ C 25.4 *perdiderat* Γ (*per* ss H) : *prodiderat* F rell (*pro* corr D).

quae : quid J 49.1 *quid ageret* Γ : *quae a*.

quae : quod J 77.4 *quod petebant* Γ' : *quae pet*.

quod : quia J 97.3 *quod locorum* Γ' : *quia l.* — 98.6 *quod* G Γ': *quia* (*pro quia* ss T *uel quia* ss D) — 102.7 *primum quod* G Γ' : *pr. quia* — *dein quod* Γ' : *dein quia*.

ġ : ego C 2.8 *ergo* HM² γ : *ego*.

i n c o m p e n d i i s o m i s s i s:

— hasta, *m* litteram significans, saepe omittitur, cuius sei exempla uideas supra passim.

~ hasta, *en* syllabam significans, omissa est ex.c. C 26.2 et J 25.11 *tum* pro *tamen* (uide *a : u*).

Huc etiam referas prauam lectionem exemplaris Γ' *rapere* pro *repetere*, sum uirgula', qua *er* syllaba significatur, omissa *repete* in *rapere* transmutatum sit.

Addo pauca menda, quae indiligentiae librarii γ uel Γ' debentur.

Per h a p l o g r a p h i a m talia menda exorta sunt qualia: J 25.4 *honoribus* ⟨*usi*⟩ Γ' — 53.1 ⟨*aī*⟩ *aduertunt* Γ — 93.8 *iubet* ⟨*et*⟩ *ei* Γ'

in quorum numero referendae sunt uoces ἁπλῶς scriptae ut *se* pro *sese* Γ' J 29.3; 50.5.

Contra dittographiae menda inueniuntur in C 39.5 *<in>initio* Υ — J 85.13 *uidi<t>alia* Γ.

Et librarius exemplaris γ J 62.5 ita peccauit, ut terminationem sequentis uocis iam in antecedenti collocaret: *consilio decreto* pro *consilii*. Cf C 50.6 *eo uero* (uide *a : o*).

Tum disparem ordinem uerborum haud raro inde repetendum crediderim quod Υ uoces superscriptas habebat, quas librarii alius alio loco ponebant. Cf exempla pp 35—6 sub d. posita. Sed Υ liberandus est omnibus iis transpositionibus quae sunt in γ, γ', Γ alibi, quas aut neglegentia scribendi aut studio corrigendi plerumque factas esse iudico.

Neque in Υ defuisse interpolationes minores siue glossas, quibus uoces explicarentur et sententiae explerentur, multis locis probatur. Videas ex. c. J 14.7 *sed si* G Γ : *si* — 28.1 *omnes ut* GHM²DMF *ut omnes* TM¹ : *omnes*, ubi coniunctio *ut* inter lineas in Υ procul dubio scripta fuit. Praeclarissima exempla glossarum explicantium praebent:

J 31.17 *Auentinum montem* P⁴G Γ' : *montem* om XNK.

uoto
J 43.5 *ex sententia* Υ : libri KG uerbo genuino excluso glossam tantum, Γ autem utrumque uerbum in textum receperunt: *ex uoto* KG *ex uoto ex* (om M²) *sententia* Γ : *ex sententia*.

t euadere
J 57.4 *succedere* Υ : *succedere* KG *euadere* HM² : *euadere succedere* N: *euadere uel succedere uel murum ascendere* γ'. in quo igitur exemplari noua glossa *mur. asc.* accessit.

Atque, nisi me animus fallit, similiter explicari debet mira quaedam lectio Γ J 62.1 *merenti ita prouideat.* Credo in Υ traditum

itæ
fuisse: *merenti*, i. e. super *merenti* 'uariam' lectionem *meritae* additam, quam lectionem stirps X accedente K seruauit. Cum autem libri NH *itae* neglegerent, librarius Γ *itae* perperam interpretatus *merenti ita* finxit. — Neque necessarium est Υ eas glossas adiudicare quae in Γ uno extant: C 25.5 *sales* — 30.6 *decreuere* — 42.2 *paulo* — J 57.4 *murum ascendere* (cf supra).

Sed glossae supra scriptae non modo in textum simul cum uocibus per eas explicandis irrepserunt sed etiam has ipsas uoces e libris quibusdam extruserunt. Hinc puto petendam esse causam uarietatis lectionum, quae est in J 14.17 *aut reges* Γ : *an r.* — 63.1 *omnia* Γ' : *cuncta* — 84.3 *negare* G Γ' : *abnuere*.

Hic mihi commemoranda est lectio unica quae est in Γ' J 55.4 *animosior*. In XG *anxius* legimus. Quomodo hae duae lectiones cohaereant uel quid in Υ traditum fuerit, libri NKH nobis ostendunt. In NK enim scriptum est *animus anxius* et H m. 1 *animus* expunxit et in margine *anxius* scripsit. Ergo librarius exemplaris Γ, ne in enuntiato primario adiectiuum deesset quod comparatiuo *clarior* enuntiati relatiui responderet, *animus* in *animosior* deprauauit, neque hic comparatiuus — ut ita dicam — geminatus *magis animosior* offendit nisi quod in F *magis* post erasum est. Sed quocumque modo comparatiuum *animosior* explicamus, certe ex substantiuo *animus* originem ducit, quod in Υ aut glossae uicibus fungitur aut ita extitit, ut librarius Υ *anxius* perperam legens *animus* primum scriberet, tum recta lectione indagata *anxius* adpingeret.

4.

Quae ratio inter X *et* Υ *intercedat demonstratur.*

1. Duas stirpes X et Υ destinximus earumque proprietates cognouimus. Ad hoc in extrema praecipue parte prioris paragraphi multos locos offendimus, quibus unus pluresue libri Υ stirpis ceteris huius prosapiae libris desertis cum X se consociarunt. Et si hunc modo consensum respicimus, nulla causa adest quin Υ in X inseramus, ut Υ familia fiat stirpis X et ipsum exemplar X archetypus omnium mutilorum euadat. Nam quo propius liber stirpis Υ a suo fonte abest, eo plura ei cum X communia esse debent. Quare si Z et ex Γ libri HM²T ante ceteros cum X conspirant, omnia recte se habent. Accedit quod inferior aetas Υ huic opinioni uidetur fauere. At aliae res eaeque grauiores hoc genus cognationis prohibent. Praeterquam quod eae lectiones, quas initio disputationis pp 9—10 collocaui, hoc dissuadent, inter X et Υ tot tamque uaria genera nexuum contracta sunt, ut prorsus nequeat dici, cui libro uel familiae stirpis X finitima sit Υ. Libri enim Υ alii ad aliam partem stirpis X se adplicarunt, nec tamen iidem libri constanter sed cum hinc tum illinc stant. Ita fit, ut cognatio stirpium eodem modo, quo cognatio singulorum codicum et familiarum, ualde intricata sit neque sine difficultate enodetur. Et probabile est, huius inconstantiae causas easdem esse quas supra in librorum familiarumue cognatione indaganda obseruauimus. Ipse habitus archetypi Ω multas discrepantias effecit, cuius rei exempla proximo paragrapho adferam. At est altera

causa, quae meo quidem iudicio multo maiores partes egit. Ut libros familiasque stirpium aliam ab alia multa mutuatas esse uidimus, ita idem in stirpibus factum est: erat certe inter eas commercium et dandi et accipiendi lectiones celeberrimum.

De his mutuis nexibus nunc agam. Et ne disputatio iusto plus euagetur, societates stirpium contractas non omnes sed crebriores constantioresque exemplis illustrabo.

2. A X multos libros Y plus minus pendere saepenumero monui. Quae condicio in libris Z quam optime perspicitur: libri N et K cum Π (PP^1), G autem cum Σ (P^2BP^4) et imprimis cum P^4 artissime cohaerent. Quamquam de ea cognatione, qua N et K cum PP^1 coniunguntur, iam egi[1], utile mihi uidetur ea pauca quae tum dixi repetere et partim corrigere; ceterum noua cognationis exempla nunc addam.

Libri PP^1NK duobus locis Iugurthinis 37.3 et 38.2 nomen *Albini* pro *Aulo* perperam exhibent; tertio loco 43.1 ad hos G quoque, quem hic K fonte uti apparet, accedit. Contra C 18.2 iidem libri soli omnium mutilorum nomen *Tullo* recte seruarunt, quod nomen ceteri in *Tullio* deprauarunt. Praeterea genuinus textus in his tantum libris recte traditus est: C 7.6 *se quisque : sic quisque* uel *sic se qu.* — 51.27 *ignaros eius* (*eius* ss N 1.m. eras P) : *ignaros ciues.* At ut Π ita NK peccauerunt J 44.3 *labore* pro *laborare* per haplographiam scribentes; et C 51.4 compendia uocum *p. c.* (i. e. *patres conscripti*) omisit K, supra scripserunt PP^1N. Denique in libris P^1NK principium J 102.6 sic traditur: *ad hoc* (om P^1) *utinam a principio tibi melius uisum,* quod m. 2 P^1K correxit in: *ad hoc p(opulo) r(omano) iam a principio inopi melius uisum,* quae lectio in ceteris libris extat. Et falsam lectionem P^1NK propter similitudinem loci uicini 102.8 *atque hoc utinam a principio tibi* exortam esse manifestum est. At utra lectio in P tradita sit non constat, quoniam P h. l. propter mutilationem chartae uacare ualde dolendum est. Et quamquam maxima similitudo, quae est libro P cum P^1NK, nobis suadere uidetur ut sumamus P hic quoque ab his tribus stare — cui opinioni ipse nuper faui[2] — tamen in hac re cautius iudicare nunc cogor. Nam postquam librum integrum l, qui cum P mirum in modum concordat, totum percussi atque inueni eum hoc quo de agitur loco cum Σ rell facere — legimus enim in l haec: *ad hoc populo R.* (perierunt circ. 17 litt.) *melius uisum est* — ea me cepit suspicio, eademne in P tradita sint.

[1] Eranos 9 p 162.

[2] Loco quem dixi.

Utcumque haec res est, P non adhibendus est testis consensus familiae Π et NK.

Et pro communi origine librorum Σ G testimonium dicit falsa scriptura nominis *Plautia* C 31.4, quod nomen in iis hoc modo traditur: *Plautitia* uel *Plauticia, Plautica* G. Alter testis isque non minus grauis producendus est J 92.1, ubi in enuntiato a *postquam* incipienti hi libri uerbum, quod in reliquis mutilis H excepto omissum est, seruauerunt. Sed cum in H uerbum *gessit* post *Marius* collocatum sit, Σ G in ea re consentiunt, quod et ante *Marius* uerbum posuerunt et idem uerbum praebent: *peregit* Σ *peragit* G. Tum J 94.1, quo in loco uehementer deprauato summa est discordia codicum, hi quattuor libri eadem praediti sunt lectione: *qui centuriis praerant,* cum *qui et centuriae praeerant* plerique libri exhibeant praeter: *qui e centuriis erant* P *qui ascensuri erant* P^1. Ad has lectiones maxime memorabiles duas addo quae minoris sunt pretii: J 24.8 *qua moueri* (item **n**) : *a qua moueri* P (*a*) *quo moueri* rell — 65.1 *paululum* (item **n**) : *paulum.*

Cetera exempla affinitatis librorum Π NK et Σ G ab iis quae nunc adtuli ita dissident, ut similitudo non per omnes sui generis libros pertineat. Ut in Π NK aut hic aut ille liber deest, ita in Σ G liber P^4 praelatus est.

A. In ΠNK librum N multo artius quam K cum Π coniunctum esse multae res nos docent. Id statim elucet P^1 et N firmissimis uinculis contrahi, cum uterque multis lectionibus, quas nusquam inuenias, praeditus sit. Quare etiam hanc causam p. 19 adhibui, cur P et P^1 ex eodem exemplari exaratos esse negem. Cumque P et P^1 proxime cognati sint, sequitur ut triadis PP^1N multae sint lectiones communes. Neque paris PN lectiones peculiares desunt. At in K multo alia res est. Ut paria PK et P^1K, si recte adnotaui, nullis exemplis quibus cognatio nitatur imbuuntur, ita triadis PP^1K una tantum lectio extat, quam tamen maximi pretii esse haud negauerim. Lectiones triadis PNK proprias nullas inueni neque alterius triadis P^1NK nisi duas, quae res, licet ob cognationem librorum NK aliquid offendere debeat, attamen ad opinionem nostram optime quadrat existimantium N et K ad Π se adplicauisse, non contra.

At ne quidquam adseuerare uidear quod non probaui, lectiones nunc proferam eo ordine, ut a paribus proficiscens ad triadas escendam.

PN C 34.2 *oreretur : oriretur* (*i* ss N) — 55.4 *incultu : inculta.*
J 11.3 *impari : impar* (*i* eras N) — 25.7 *rapiebat : -batur* (punc-

tum add P) — 38.3 *diu : die* (*u* ss P^{1}) — 43.3 *parere : parare* — 72.2
exercitus : excitus (P m. 2).
P^{1}N a) J 29.4 *Vagam* (*c* ss; item HD) — 66.2 *Vagenses* (*c* ss; item D)
— Ceteris locis 47.1; 68.1,3 *Vaga* (*c* ss) P^{1} *Vacca* N.
b) C 8.3 *proximis* (*ma* ss) : *pro maximis* — 20.6 *considero quae*
ss P^{1} *considero* om N, ubi extat *cumq. condicio* — 39.2 *noxii* (*in* om,
praecedit *ipsi*). — Accedit J 17.6 post *animalia* glossema *serpentes*
dicit P^{1} ras. c. 13 litt. N.
J 91.7 ante *neque* praepos. *ante* om P^{1} *a^{c}neque* N — 102.11 *p. r.*
ss P^{1} *r̄. p̄.* ss N — 114.4 *sitae* (*sunt* ss; deest P).
c) C 20.11 *ingenium i n est* — J 94.2 *ceteris a u t audaciam*
(*aut* post eras).
e) J 16.5 *usuį* P^{1} *usu*|| N — 41.9 *semet ipsa : s. ipsam* — 47.4
demittebat : dim. — 50.6 *eam uero : ea uero* (corr N) — 55.7 *crescere* (*t* ss).
— 75.10 = 85.17 *item : idem* — 85.40 *decora : decori* (corr P^{1}) — 85.48
omnibus bonis : omnes bonos (corr P^{1}) — 93.5 *escenderat* (*asc* corr) —
— 102.5 *primum : optimum* (*uel obtimum* ss P^{1}) — 102.9 *placuisse*
(*placuit* corr) — 113.1 *rex Maurus* P^{1} ||| *Maurus* (eras *ex*) N : *haec*
M. — 113.1 *tandem promissis* (*promisit* corr.) P^{1} ||||| *de promissis* N:
tandem promisit — 113.3 *celeris* P^{1} *c̊eleris* N : *ceteris* (corr P^{1}) — 113.3
occultare et oris patefecissent (*i. e. immutationem et -bat* ss P^{1}) :
occ. et oris immutatione patefecisse P^{2}B *occulta specie oris patefecisse*
TMM^{1} *occulta pectoris* (*uel specie et oris* ss m. 2) *patefecisse* D.

Ut iam dixi, errores communes, qui sunt in PK (C 39.3 *oblata : ablata*) et P^{1}K (J 49.1 *parte : parti*) minus ualent ad cognationem confirmandam.

PP^{1}N triadis exempla et pro numero ceterarum triadum multa sunt et pleraque eius indolis, ut arta cognatio librorum euidentissime emineat. Perlegas peto has lectiones:

a) J 90.2 *Manilium* (prius *i* eras P, *n* exp et *l* ss P^{1}) : *Manlium* uel *Mallium*.

b) J 25.2 *enisum* (*est* om) — 61.4 *intendere uidet* ss m. 2 PP^{1} in mg N — 75.4 *eo* (*que* om).

c) J 93.4 *intenti h a u d proeliantibus* P : *intenti* |||| *proeliantibus* P^{1}N.

e) C 30.6 *et s. ter ducenta milia : et sestertia ducenta milia* P^{2}BH *et sestertiorum ducenta milia* Γ (-F) *et sestertiorum ter ducenta milia* P^{4}K (*ter* eras) G *et ter ducenta CC milia* (*ducenta* post scr, *s. sestertiorum* ss) F — 36.5 *senati : -tus* — 59.3 *colonibus : coloniis* uel *colonis*.
J 18.5 *commertio : commertia* (K deest) — 28.5 *inuidias : insidias* (K deest) — 28.7 *aliquod* (*quot* corr) — 40.1 *senati : -tus* — 69.2
irae (item H) : *ira* (recte) — 72.1 *oreretur : oriretur* (*i* ss P^{1}N) — 93.5
eadem : eodem — 94.2 *escenderent : asc.* (corr N) — 97.5 *circumueniri*
: -ire (corr. P^{1}) — 101.6 *nostrum : nostros* (corr P^{1}).

PP^{1}K triadis, si recte iudico, unum extat exemplum idque maxime memorabile: C. 10.2 *optanda*, cum in reliquis libris *optandae* ad *diuitiae* relatum traditum sit. De lectione librorum PP^{1} non est dubitandum, et in K legimus *optandae* ita scriptum, ut hasta ~ *a* litterae adfixa post adiecta uideatur. Adde quod in K *ae* diphtongus nusquam alibi hoc modo scribi solet sed aut *ae* aut *ę*.

P^{1}NK triadis lectiones proprias duas modo adnotaui, quae candem originem sapere mihi uidentur:

J. 91.3 *item : idem* (ss P^{1}) — 102.5 *bellum quam pacem* P^{1} (corr) K (cum sign. transp.) *bellum pacem quam* N (cum sign. transp.) : *pacem quam bellum*.

Ergo constat N et K praeter communem fontem Z stirpis Y alterum qui e Π fluxit adhibuisse. Et dubium esse non potest, quin N adiutore P^{1} socius sit familiae Π. Quamquam silentio praeterire non debeo discrimen, quod est inter P et P^{1}N, fortasse maius uideri quam esse, quoniam quidem lectiones libri P ob chartam rescissam in Iug. capitibus 113—114 nobis ignotae sunt. Et nonnullae dissimilitudines sine difficultate explicantur. Librarius enim exemplaris P^{1}N textum archetypi Π incuria deprauauit. Considera quaeso exempla sub b) collocata: C 20.6 uerba *considero(quae)* in P^{1}N eam ob rem omissa sunt, quod oculi librarii ad uocem sequentem similiter incipientem *condicionem* aberrauerunt; C 39.2 *in* syllaba per haplographiam excidit praecedente uoce *ipsi*, cum manifestum sit in exemplari codicum P^{1}N *ipsi īnoxii* fuisse; et C 20.11 idem librarius in contrariam partem peccauit *in* bis perperam scribens: *ingenium i n est*. Ceterum J 102.9 *placuisse* pro *placuit te* alia minusculae litteraturae archetypi Π debentur. Sed etiamsi hoc modo numerus harum dissimilitudinum librorum P et P^{1}N minuitur, multi alii loci supersunt, quorum discrepantias tollere non licet.

Quod ad K attinet, si paucas lectiones nunc adlatas respicimus, hic liber propius a P (uideas imprimis C 10.2) quam a P^{1} abesse uidetur. At aliter nobis iudicandum est considerantibus, quotiens P^{1}NK accedentibus nonnullis libris familiae Γ contra PP^{2}B ceterosque huius fam. Γ libros faciant. Cuius generis exempla p 54 collegi.

B. G librum ad Σ se adplicauisse iam ostendi. Eumque firmiori-

bus uinculis cum P^4 quam cum ceteris Σ prosapiae libris conecti e lectionibus quae sequuntur clare elucet:

P^4G: d) C 2.8 *eorum uitam ego* P^4 *ego* ss G: *eorum ego uitam* — 23.2 *uanitas quam audacia inerat* P^4 *inerat* ss G: *uanitas inerat quam aud.* — J 5.4 *praeclara facinora rei militaris* P^4 *praeclara militaris rei* (*facinora* in mg. al. m.) G: *praecl. rei mil. fac.* — 11.3 *erat ex iis* P^4 *erat ex illis* G: *ex illis erat* — 14.13 *uobis adesset* G *uobis* ss P^4: *adesset u.* — 48.2 *itinere hostium* P^4 *hostium* om G: *host. it.* — 73.4 *bona sua aut mala* P^4 *bona sua aut mala sua* G: *bona aut mala sua.*

e) C 43.1 *actibus: actionibus* — 59.6 *annis: annos* — J 41.10 *permixtio: permixtione* — 66.3 *suos: suas* — 94.6 *deinde: dein.*

Ceterum lectiones sub d) collocatae quam euidentissime demonstrant librarium codicis G duobus exemplaribus usum esse i. e. ipsum textum libri G non purum sed contaminatum esse. Cui contaminationi et uoces quater superscriptae et J 73.4 pronomen *sua* repetitum debentur. Et in eandem opinionem deducimur contemplantes J 31.19, ubi eodem modo in G duae recensiones in unum coaluerunt: *at in remp.* Neque fontes in obscuro sunt, cum **n** prorsus eodem uitio atque G laboret et in PP^2B *ad remp.*, in ceteris libris *in remp.* legatur. Aliud contaminationis exemplum praeclarissimum praebet J 85.29 *hastās* G, ubi hae duae lectiones *hastas* XN: *hastam* K Γ' coaluerunt.

Fontes igitur libri G nobis noti sunt: Z et Σ. Neque multum, opinor, a uero aberrabimus dicentes haec duo exemplaria G codicis K et P^4 simillima fuisse. Sed G, ut ipso K non usus est, ita ne P^4 quidem adhibuit. Sunt enim loci, qui cum **n** integro, non cum P^4 conspirent:

Gn b) J 23.1 *intentus* ss G om **n**.

d) C 36.3 *praesidio urbi* — J 63.6 *etiam alios tum* (*tum* ssB): *etiam tum alios* — 92.4 *incruento exercitu* — 101.11 *infecta sanguine humus* **n** *humus* ss G: *hum. inf. s.*

e) J 14.2, *imperio* (*er* eras G): *impio* — 97.5 *sustinebant* **n** *stinebant* (*su* ss)G : *sustentabant*,

quae lectiones et pro affinitate, quae est G codici cum Σ, et pro contaminatione cuius mentionem feci pro sua parte testimonium dicunt.

Quae cum ita sint, ubicumque G cum Π facit, hic consensus a cognatione librorum K et G supra comprobata pendet. Cui rei conuenit, quod his locis K semper fere adest, uelut in:

ΠNKG J 100.4 *tam* om.

PNKG J 41.4 *asperius acerbiusque fuit: a. a. fit.* P^2B *fuere* rell.

P^1NKG J 85.33 *multa optima : multo o.*

PKG C 51.19 *superuacuaneum : superuacaneum.* — At altero loco C 58.11, ubi idem adiectiuum legimus, P unus eandem formam *superuacuaneum* praebet, in K autem ut in reliquis libris *superuacaneum* extat, G denique, qui primitus *superua cuum* inter duas lineas diuisum scripsit, postea in mg. *cua* inseruit, ut forma monstruosa *superuacuacuum* euadat (cf etiam l *superuacuneum*).

Neque hanc condicionem aspernantur lectiones tales quales sunt:

ΠNK+P^4G C 54.6 *illum assequebatur : illam a.*

PNK+P^2G J 54.5 *regis etiam tum animus : tum* om P^1, alibi alii coll.

At K librum passim desidero. Et si ceteris locis consensus, qui est inter G et PP^1(N), pro ludibrio fortunae haberi potest, ut in J 10.5 *amicior* PP^1NG: *amicitior* — C 40.5 *Romae* PG: *Roma* — C 10.4 *docuit* P^1G: *edocuit* (praecedit uerbum *habere*) — J 85.21 *faciant* (*u* ss) P^1G: *faciunt*, certe J 76.3 concordia librorum PP^1G ad communem fontem reuocanda est. Cum enim lectio uulgaris sit *deinde iubet*, in his libris haec traduntur: *dein duobus* P (l) *deinde duobus* P^1 *deinde iubet bus* (*iubet* in ras) G, quae scriptura codicis G nobis suadet ut principalem lectionem huius libri *duobus* statuamus. Sed quoniam spatium rasurae maius est quam quod nihil aliud uisi *du* syllabam capiat, potius Dietschio adsentior sumenti in G a principio scriptum fuisse *deinde iubet duobus*. At utrumcumque praefers, contaminatio duorum fontium Π et Σ perspicua est, quae contaminatio in ea re nos offendit, quod neque in K neque in N uestigium lectionis Π prosapiae reperitur. Neque contrariam uiam ingredi nobis licet, ut *duobus* in Σ fuisse sumamus, propterea quod in Σ alter huius lectionis testis non adest.

Propter consensum singulorum pluriumue codicum utriusque prosapiae Π NK et Σ interdum decerni nequit, ab utra parte G lectiones acceperit. Quod fit in

P^4KG: C 30.6 *et sestertiorum ter* (in K eras) *ducenta milia.*

J 65.5 *Mamilliam : Maniliam* P^2B *Mamiliam* rell.

BP^4+NKG: C 49.1 *aut per alium : per* om rell.

PK+ΣG: J 42.1 *necauerat : -rant.*

Ubi autem P^4 a societate abest, G a K pendere uerisimillimum est, uelut in

P^2B+P^1NKG: J 46.4 *nuntiari : -re.*
$P^2B+PNKG$: C 49.4 *usque eo : u. adeo.*
B+PKG: C 52.33 *iterum* (*iam* om).

3. Nunc uero ad familiam Γ me conuertam, num quas lectiones ea a X mutuata sit inquirens.

A. Ab H libro incipiam, quippe qui singularem locum familiae Γ occupet. Quoniam H ante ceteros cognatos cum Z coniunctus est, et imprimis cum G plurimas similitudines exhibet, suspicari licet eum a X saepius stare et in ea quoque re G similem esse quod Σ, non Π sequitur. Quam suspicionem non falsam esse multae lectiones cum Σ communes ostendunt. Consideres quaeso hos locos:

C 3.2 *factu* PP^2BNGH: *facto* (*fact*$\overset{u}{o}$ P^4) — J 28.1 *uenum ire* P^2BH: *uenire* praeter *uenalia* (*s. esse uel uendi uel uenum ire* ss) P^4 — 89.5 *quorum* P^2BH: *quarum* — 92.5 *uelud* P^2P^4H: *uelut* — 101.6 *agebat* P^2BH: *erat* (ss *uel agebat* P^4) — 102.5 *laetitia nobis* PP^2BH : *nob. laet.* — 102.9 *et uim* PP^2BGH: *et* om — 102.10 *multa atque* PP^2BH : *atque* om — 102.12 *ob regnum* Σ GH : *ob* om. Accedunt nonnulli loci, quorum consensum, qui est inter P^4 et H, forti tribuere non ausim:

J 41.5 *dilacerata est : est* om — 99.1 *tuba canere : signa c.* (*uel tuba* ss P^2). — 100.2 *locauerat tribunos : tr. l.* — Ad extremum mihi commemorandum est J 93.6 H m. 1, nisi fallor, textum uulgarem ita correxisse, ut cum iis quae in P^4 et **n** integro leguntur prorsus fere consentiret. Cum enim librarius H haec scripsisset: *sese itineris periculiq;|ducem* in duas lineas diuisa, supra syllabas *ris peri* substantiuum *ducem* adscripsit, tum *q* expunxit et ante *ducem* sequentis lineae in margine *nichil* adiecit, denique uerba *esse docet* supra scripsit, ut hoc enuntiatum restitueretur: *sese itineris ducem periculi nihil esse docet.* Quae omnia, si minutias non respicimus, in P^4 et **n** inueniuntur: *sese ducem itineris periculique* (*que* om **n**) *nihil esse docet.*

Haec cum Σ familiaritas non impedit, quin H, cum membrum sit fam. Z atque G codicem secutus ad K propius accedat, passim cum Π congruat. Huius generis exempla haec duo adfero:

J 61.1 *Iugurtham niti* Π NKGHD: *Iug. nisi* P^4M^2 *Jug. ni* MF *Iug. niti nisi* P^2B. — 64.1 *Marius cum haruspicis* Π P^4NKGH: *cum* om $P^2B\Gamma$ (eras P^1KG expH).

Quae cum ita sint, etiamsi probare non licet ipsum librarium codicis H e duobus exemplaribus textum composuisse — id quod in G factum esse me puto probauisse — tamen exemplar, quo librarius H usus est lectionibus e Σ oriundis infectum esse nemo, credo, negabit.

B. Contaminationis librorum M^2T p 35 mentionem fecimus. Et hos libros ex eodem exemplari ẟ magnam partem ortos esse antea cognouimus. Nunc quaeritur, quis sit alter fons horum codicum. Neque dubium est, quin hi duo similiter atque cognati H et Z exemplaribus quibusdam stirpis X usi sint. Sed illi ad utram familiam se adplicarent non erat dubitandum; hi uero utrum a Π an Σ stent difficilius est iudicare. Nimirum hac in re C 28.4 *coloniis* PP^2BGM^2: *colonis* — J 65.1 *paululum* Σ M^2G: *paulum* — 78.2 *peralta* Σ T: *praealta* alii eiusmodi loci, si qui inueniuntur, nihil probant, cum ea uarietas etiam in libris artissime cognatis reperiatur. At ubicumque est uarietas lectionum, quae ad arbitrium librariorum nullo modo possit reuocari, hi libri non cum certa parte se consociauerunt sed et hos et illos libros sibi socios adquisierunt. Quare sumendum nobis est ipsa exemplaria, quae M^2 et T adhibuerunt, tam sero scripta esse, ut lectiones undique decerptae finesque familiarum maximam iam partem extincti essent. Ita intellegitur, qui fieri possit ut M^2T et cum Σ J 54.4 *Numidarum* perperam pro *Numida* exhibeant et C 54.4 mendo triadis P^1NK *quod bono* pro *quod dono* imbuantur et simul C 45.2 cum P^1K *illi* recte seruarint, quod pron. reliqui libri cum uerbo praeeunti *permittit* coniungentes in *illis* mutarunt.

Idem fere obseruari licet, ubicumque T solus cum X facit: et cum Π et cum Σ consentit. Ut lectioni C 5.4 *cuius rei libet* Π NT: *cuius libet rei* Σ Y respondet J 85.3 *maximo uestro beneficio* P^2BT: *m. b. u.* Π Y.

Quod ad M^2 attinet, quale fuerit exemplar alterum a librario eius adhibitum paulo accuratius decerni potest. Nam etiamsi M^2 et Π uel potius P^1 has similitudines non contemnendas praebent: C 2.8 *transire* P^1 *transiere* KM^2 : *transegere* et J 98.3 *uisui* Π M^2 : *usui*, tamen M^2 nonnulla habet quae cum Σ conspirent; et certe M^2 cum P^4 aliquo modo coniunctum esse lectionibus comprobatur huiusmodi:

C 30.2 *portenta atque* (om M^2) *alii prodigia : port. atque prod.* — 31.2 *cuiquam homini* P^4 *cuiquam* om M^2 : *hom. cuiquam* — 35.5 *mihi uim : uim mihi* — 51.43 *augere : augeri.*

J 2.2 *huiuscemodi omnia : o. h.* (*huiuscemodi* in mg H) — 9.2 *suo auo* P^4 *suo* om M^2 : *auo suo* — 18.11 *appellantur : appellatur* — 31.16 *tantam uos* (*uos tantam* γ') : *tam uos* — 63.3 *bonas artes : artes b.* — 67.3 *quod : quia* — 70.5 *exitum : exitium* — 75.7 *quo : quod.*

C. De ceteris libris fam. Γ non opus est singulatim dicere.

non quod in Γ desint indicia nexus Γ et X sed et quia hi libri pro se quisque perraro a X stant et imprimis quia in his multo minus quam in M^2 et T certe dici potest, ab utra parte aut a quo libro stirpis X lectiones sumpserint.

Ad extremum ut illustrem, quot quamque uarias societates X et Y contraxerint, nonnullos locos enumerabo. Et primum exempla adferam, in quibus inter congregationes constantiores PP^1N (K) ~ P^2BP^4G et PP^2B ~ P^1NK ceteri libri diuisi sunt; tum pauca alia addam.

C 43.1 *constituerant* ΠNΓ : *constituerat* ΣKGT
43.2 *incenderent* ΠNGHT : *incenderet* ΣKΓ′
43.3 *consultando* $\Pi NHDMM^1$: *consulto* ΣKGM^2TF

J 31.21 *uiro* PM^2F (*uir*$\overset{s}{o}$) *uiros* P^1N : *uirum* ΣG^1
44.5 *diu* $PNHM^2$: *die* XKGΓ
84.3 *plebi* ΠNΓ′ : *plebe* Σ KGT
ibd. *uolenti* $\Pi P^4NG\Gamma$: *uolente* P^2BKHT
100.2 *extremos* PNKΓ′ : *dextimos* $P^1\Sigma GT$

C 3.2 *sequatur* $P\Sigma M^2F$: *sequitur* P^1ZHTDM
58.21 *cauete inulti* PΣNGHD : *cauete ne inulti* $P^1K\Gamma$
J 5.7 *dereliquerat* PΣDMF : *reliquerat* $P^1NKM^2TM^1$: *deliquerat* GH
29.4 *Vaccam* PΣ (*Vacam* P^2) GM^2TMF : *Vagam* P^1NHDM^1 (K deest)
60.4 *significare aut* PΣKGT : *aut* om $P^1N\Gamma'$
81.3 *si dux romanus* PP^2BGT : *dux* om $P^1P^4NK\Gamma'$
85.27 *animi mei* PΣNKD : *mei* om $P^1G\Gamma'$

C 31.9 *resting(u)am* PNG *restringam* $P^1P^2P^4K$: *exstingam* BΓ′
49.3 *libertate* PBKGγ : *liberalitate* $P^1P^2P^4NM^2T$
53.6 *possum* $PGDMM^1$: *possem* rell
J 4.4 *magistratus* PBP^4KMFM^1 : *magistratum* $P^1P^2NGHM^2TD$
5.1 *obuiatum* PBP^4KGMF : *obuiam itum* $P^1P^2NM^2TDM^1$
28.4 *auctoritas* ΠBNGHD : *auctoritate* $P^2P^4\Gamma$ (K deest)
31.17 *quo magis* PΓ : *quo maius* $XNGHM^2$ (K deest)

4. Superest, ut inuestigemus, numquis liber X particeps sit lectionum Y propriarum.

A. Certe P^4 ab Y partim pendet. Persaepe enim fit, ut hic liber ceteris suae stirpis cognatis relictis ad Y transmigrauerit et cum tota Y raro, crebrius cum parte quadam uel maiore uel minore congruat. Quam concordiam, licet eam fortuna passim creare potuerit, tamen a communi origine plerumque petendam esse, nemo negare poterit qui lectiones quae sequuntur perlegerit.

Iam p. 13 unum idque praeclarissimum exemplum quod huc pertinet adtuli: C 57.1 *Pistoriensem* P^4 Y: *Pistorio(n)sem* X. Alia eiusdem generis haec sunt:

b) J 100.4 *equites et* (*ex* P^1) *auxiliarios* X : *et* om P^4Y.

c) C 60.2 *a ferentariis* P^4Y : *a* om X — J 77.1 *salutem et illorum* P^4Y : *et* om X. —

e) C 34.3 *in senatum* X : *in senatu* P^4Y (recte!) — 52.12 *ne illi* X : *ne illis* P^4Y (subsequitur *sanguinem*) — J 42.5 *omnis ciuitatis moribus* X : *omnibus c. m.* P^4Y (item m. 2 PP^1).

In his tribus quae sub e) posui exemplis dissimilitudo lectionum illa quidem per se minima est, sed non dubito contendere hic quoque consensum qui est inter P^4 et Y non fortuna effectum esse sed in ipsa affinitate positum.

Multo maior est numerus locorum, ubi P^4 easdem lectiones exhibet, quae in parte quadam Y inueniuntur:

C 19.4 *dicant* XN : *dicunt* P^4Y (*dictant* corr K)
33.1 *patriae* : *patria*
40.2 *ciuitatium* : *ciuitatum*
J 50.1 *degredi* : *digredi*
67.3 *aut casu* : *an casu*
83.1 *aegerime* : *acerrime*
J 62.1 *meritae* XK : *merenti* P^4NGH *merenti ita* Γ
J 60.8 *denique* XG : *deinde* P^4Y (*uel denique* ss P^4)
J 58.3 *frustrari* XT : *frustrati* P^4Y
88.4 *belli patrandi cognouit* (copiam om) XT : *patrandi belli copiam cogn.* P^4 *belli patr. cogn. copiam* NK *belli patr. copiam cogn.* G Γ′

J 11.5 *iacit* XNG : *ait* P^4Y
31.17 *Auentinum* XNH : *Auentinum montem* P^4Y
31.25 *uestrum est* XKG : *est* om P^4Y
85.7 *labores et* XGT : *et* om P^4Y
99.3 *tumultu formidine terrore* XNK : *tum. terrore formidine* P^4Y (*formido* M^2T; *e* subst. *terrore* eras et uerba transp G)

J 55.2 *de Metello fama* XZ : *fama de Met.* $P^4\Gamma'$
67.3 *intactus profugit* XZ : *prof. int.* $P^4\Gamma'$
J 14.7 *si* XNKH : *sed si* $P^4G\Gamma$

85.17 *aetas est* XNKH : *est aetas* $P^4G\Gamma$
C 57.1 *perfugeret* XNKT : *perfugerent* $P^4G\Gamma'$
J 97.2 *ipsique* XZH : *ipsi* $P^4\gamma$ *ipse* M^2T
C 43.1 *uenisset* XZT : *uenissent* $P^4\Gamma'$
J 56.2 *quia fallere* XZHT : *quod fallere* $P^4\Gamma$

Hae lectiones documento sunt P^4 multo longius a Z quam a Γ distare neque tamen eum ab ipso Γ pendere iam lectione J 62.1 efficitur. Id tantum constat hoc alterum exemplar a P^4 usurpatum ab Y oriundum esse et Γ exemplari simillimum; at plura de origine eius cognoscere nobis non licet.

B. In ceteris libris X hanc tantam copiam similitudinum frustra quaeris. Et si quae sunt lectiones, quae in singulis libris X et parte quadam Y consentiant, similitudines aut fortuitae habendae sunt aut Y e X procul dubio hausit. Quod in PP^1P^2 certe ualet. In B autem paulum me dubitare concedo, paucaene lectiones ex Y huc irrepserint. Nam etiamsi nullam habeo rationem talium lectionum quales sunt J 31.19 *iussis nostris* BΓ : *i. uestris* — 49.4 *digrediens* BY : *degrediens* alios maioris momenti locos consideranti difficillimum mihi uidetur inter B et Y nexum quendam esse prorsus negare. Inspicias hos locos:

C 45.1 *Prom(p)tino* BKGHMDM¹ *Promtinio* M^2T : *Pom(p)tino* XNF — 58.17 *his* om $BGHM^1MF$ — J 2.1 *genus humanum* BTM^1MF : *g. hominum* — 38.9 *fecit* BKGΓ : *facit* — 51.5 *dubius* BΓ : *dubiis* — 52.3 *praeceptum erat* BΓ' : *pr. fuerat.*

Ex his primum quidem locum plurimum ualere censeo. Cuius loci mendum B et Y commune ita extitisse, ut maiusculae litterae ꝑ archetypi Ω eadem uis atque minusculae ꝑ (= pro) daretur, sole clarius est. Non multa haec sunt sed eiusmodi, ut de iis omnino tacere non potuerim.

5.

De archetypo Ω.

Postquam cognationem librorum, familiarum, stirpium constituimus, restat ut archetypum Ω restituere conemur. Quam ad rem efficiendam ex iis, quae adhuc disputaui, satis superque credo euadere uim librorum uehementer disparem esse. Id igitur quaeritur, qui libri plus, qui minus ualeant. Tum qualis fuerit habitus archetypi Ω nobis explorandum est.

1. Priusquam ad priorem quaestionem soluendam transgrediar, utile mihi uidetur originem omnium mutilorum, quos quidem cognouerimus, ante oculos ponere:

```
   { P  < Π
   { P¹ < Π   (lectiones e libro quodam ad Ω non pertinenti
 X { P² < Σ          huc irrepserunt)
   { B  < Σ
   { P⁴ < Σ + Y

   { N  < Z+Π(P¹) }
   { K  < Z+Π     } Z
   { G  < Z+Σ     }
   { H  < Γ+Σ          }
 Y { M² < δ }          }
   { T  < δ }          }
   { D  < γ }          } Γ'
   { M¹ < γ } Γ        }
   { M  < γ }          }
   { F  < γ }          }
```

Primum omnium apparet nulli libro ne X quidem stirpis tantam uim dandam esse, ut is solus omnes ceteros aequet. Quare rationem textus constituendi Iordani aspernamur, qui in eo peccarit quod nimiam auctoritatem P adtribuit. Tum elucet, ubicumque tota stirps X contra uniuersam stirpem Y faciat, nos quid in Ω fuerit aut in incerto esse aut nulla alia uia nisi coniectura decernere posse. Eademque condicio est, si ad X unus liber Y stirpis transgressus est. Namque propter duplicem originem N, K, H, aliorum, consensu qui est inter X et unum horum codicum nihil aliud euincitur nisi quod hic liber loco quo de agitur lectionem X recepit. At alia quaedam res est, si tota familia aut Z aut Γ cum X se consociauit; qui consensus efficit, ut altera familia quae sola est minus ualeat. Sin autem — id quod plerumque fit — libri in duas partes ita discedunt, ut et hinc et illinc nonnulli libri utriusque stirpis stent, multo difficilius est de habitu Ω iudicare. Ut pluris aestimanda est lectio difficilior, ita qui sint libri duarum partium nobis est considerandum. Cumque libri X, P^4 excepto, ex uno exemplari orti sint ideoque puriore textu excellant, unicuique horum librorum plus fidei tribuenda est quam singulis libris Y stirpis, qui omnes textum contaminatum quodammodo praebeant. Et P^4 hac in re his libris similis est.

Quae cum ita sint, ea pars librorum superior discedit, quae e maiore numero X librorum constat, propterea quod quamuis magna multitudine Y codicum auctoritas illorum non modo non tollitur sed ne compensatur quidem. At loci permulti sunt, quibus X libri in aequas partes diuiduntur. Tum ad Y iudicium transfertur.

Sed etiam in Y magna differentia est auctoritatis librorum. Ut quisque liber exemplar suae familiae optime reddit, ita maximi pretii est. Unde efficitur N et K et H pluris aestimandos esse quam ceteros, M^2 et T eundem fere gradum dignitatis quam DMF occupare, in inferiorem gradum G et M^1 deici. Et ne offendaris quod M^2T pluris faciam quam G, licet illi non minus quam hic contaminati sint, reminiscaris peto M^2T, ut ita dicam, sui iuris esse, non item G. Cum enim illi duo effigiem faciant exemplaris δ multis proprietatibus imbuti, G nullis aliis lectionibus propriis insignitur nisi quae menda contaminationi debentur: omnia reliqua aut in Σ aut in Z locum habent. Neque alia res est in M^1, in quo lectiones omnium librorum fam. Γ' permixtas esse uidimus.

Ex iis, quae de pretio librorum diximus, facile concluditur quas lectiones in apparatum recipiendas, quas neglegendas esse censeam. Si ullus, libri G et M^1 toti sine periculo abesse possunt: nusquam testimonia eorum desiderantur. Neque magis necessarium est omnes minutias, quibus M, F, D, M^2, T pro se quisque a ceteris differunt, enumerare. Item ex apparatu critico omnes lectiones MF, DM^1, TM^1, alias id genus excludo, cum lectiones M^2T communes retineam. In libris NKH adhibendis eadem ratione qua in libris X utor: etiam eas lectiones quae in singulis libris extant recipio, nisi quae ad ipsam rationem scribendi spectant. Si quis me ob hanc rem inconstantiae accusabit et me iusto plus fidei illis libris tribuere dicet, me defendere non conabor, sed melius puto esse nimium facere quam in contrariam partem peccare. Et me omnes familiarum et stirpium lectiones adlaturum esse uix opus est dicere.

2. Ad alteram rem transgredior, ut qualis fuerit habitus archetypi Ω ostendam.

A. Y exemplar minusculis litteris scriptum fuisse iam uidimus, X autem utrum minusculis an semi-uncialibus exaratum fuerit in medium reliquimus. Nec tamen dubitari potest, quin librarius in hoc exemplari scribendo minusculis usus sit, quoniam quidem ipsum Ω archetypum m i n u s c u l i s scriptum fuisse maxima

multitudine lectionum comprobatur.[1] Huic enim litteraturae multae librorum discrepantiae debentur.

Litterae p e r m u t a t a e:

u o c a l e s:

a:o C 39.3 *oblata* PK : *ablata* — J 5.3 *expediam* Σ : *expedio* — 18.8 *tecto* ΠΓ' : *tecta*.

a:u C 19.4 *dicant* XN : *dicunt* — 54.6 *illum* Π P^4NKG : *illam* — 55.4 *incultu* PN : *inculta*. — J 33.4 *uerum* XK : *uera* — 64.5 *ullo* XG : *alio* KT *aliquo* NΓ' — 85.17 *faciunt* Π : *faciant*.

e:i C 34.2 *oreretur* PN : *oriretur* — J 12.4 *conficit* XH : *confecit* Z (*perficit* γ' : *perfecit* M^2D) — 13.1 *diuulgatur* PBP^4G : *deuulgatur* P^1P^2 (*diuulgabatur* KΓ' : *deuulgabatur* N) — 26.3 *interficit* X : *interfecit* — 28.1 *praecipit* XG : *praecepit* — 42.1 *uindicare* XN : *uendicare* — 84.3 *plebi* ΠNΓ' : *plebe* ibd. *uolenti* ΠP^4NGΓ : *uolente* — 88.6 *accideret* Π : *accederet*.

Minus nimirum ea exempla ualent, ubi praesens et perfectum permutantur, cum huius rei causa aliunde quaeri possit.

e:o C 57.1 *Pistorionsem* P *Pistoriosem* P^1P^2 *Pistoriosen* B : *Pistoriensem* (cf p 18) — J 9.2 *certo* XN : *certe* — 66.3 *inermos* ΠB NKHD : *inermes* — 94.2 *inermos* ΠP^4TDM^1 : *inermes*.

In exemplis Iugurthinis uaccillationem id adiuuit quod eaedem uoces utraque terminatione praeditae erant.

i:o J 49.2 *belli* Π : *bello* — 80.6 *Bocchi* Σ : *Boccho*.

i:u J 63.7 *egregiis factis* ΠP^2NK : *egregius factis* BP^4 (ss. *uel us*) G : *egregiis factus* H : *egregius factus* Γ.

o:u C 3.2 *factu* PP^2BNGH : *facto* — 52.33 *uero* ΠP^4 : *uerum*.

c o n s o n a n t e s:

b:d C 54.4 *bono* P^1NKM^2T : *dono*.

c:t J 53.8 *decretant* Σ : *detrectant* (*detractant* GM^2M^1).

n:u J 31.19 *nostris* BY : *uestris*.

r:t J 58.3 *frustrari* XT : *frustrati* P^4Y.

s:t J 61.1 *niti* ΠZHD : *nisi* P^4M^2 (*ni* MF) : *niti nisi* P^2B.

[1] At exemplar, unde erat archetypus Ω transscriptus, litteris uncialibus (an capitalibus?) pictum erat; cuius rei certum uestigium extat falsa scriptura o m n i u m codicum C 22.1 *adiceret* pro *adigeret*, quod mendum e similitudine litterarum *C* et *G* exortum esse patet. Et haud scio an scriptura *Vaga* archetypo sit uindicanda; e qua, cum *Vaca* perperam legeretur, *G* littera superscripta *Vacca* formam in plerisque codicibus traditam extitisse putauerim.

u o c a l e s e t c o n s o n a n t e s:

c:e C 51.27 *eius* ΠNK : *ciues.*

e:l J 31.22 *alterna* PP^{2}BDM^1 *a^{l}terna* P^1 *aeterna*(K deest).

i:l J 64.5 uideas supra *a:u.*

i:t J 92.7 *altis* X : *aliis.*

l i t t e r a e c o n t i g u a e e t s i m p l i c e s:

C 23.6 *aestimabat* X : *aestuabat* — J 67.2 *multi* BP^{4}GM^1 : *inulti* — 94.3 *numidas* X : *inuidias.*

Accedit quod similes terminationes passim permutantur uelut

rat:rant C 43.1 *constituerant* ΠNΓ′ : *-rat.*

ret:rent C 43.2 *incenderent* ΠNGT : *-ret.*

rint : rant J 39.1 *fuerint* ΠNKD : *fuerant.*

e : & J 6.1 *esset* XNγ : *esse* — 62.3 *traderet* NKΓ′: *tradere* — 85.25 *meamet* XG *mea et* N : *mea me* — 100.4 *facere* XNGH : *faceret.*

Ad extremum commemoranda est uarietas formarum eiusdem uerbi: *arcessere : arcersere : accersere.*

Tum c o m p e n d i a l i t t e r a r u m in Ω adhibita esse iudicant:

compendia p e r m u t a t a:

p : p̄ J 78.2 *peralta* ΣT : *praealta.*

p : p J 4.8 *perinde* PBGM^{2}γ : *proinde.*

qui : quod J 95.1 *qui uti* P^{1}P^{2}NKF : *quod uti* (*quoniam* M^2).

quod : quia J 56.2 *quia* XZT : *quod* P^{4}Y — 90.1 *quia* X : *quod* BY.

supra : super J 35.8 *supra* PBP^{4}K : *super.*

compendia o m i s s a u e l a d d i t a:

∼ *uel-* (*m* uel *n* significans) C 34.3 *in senatum* X : *in senatu* — C 55.1 *indices* pro *uindices* ⟨*uidices* — J 5.1 *obuiatum* PBP^{4}KGMF : *obuiam itum* — 30.4 *eam* XGM^{2}T : *ea* P^{1}NHγ — 45.2 *circumire* XNM^2 : *circuire* — 51.5 *circumire* XN : *circuire* — 85.27 *falsa* PY : *falsam* (sequitur *uita*; dittographia?) — Imprimis uideas J 57.5 *picem sulphure(m) et taeda(m) mixta(m) ardenti* [uel *ardentem*] *(e)mittere.*

Eiusdem fere generis est uarietas terminationum:

am:as J 85.29 *hastas* XN : *hastam* (*hastās* G) — 88.3 *praedas* XNK : *praedam.*

em:es J 85.33 *hostem* XG : *hostes* (sequitur *ferire*).

um:us J 4.4 *magistratus* PBP^{4}KMFM^1 : *magistratum.*

ꝰ (*us* significans) C 15.5 *color ei* XKHM^{2}D *colore* N : *color eius* — 58.2 *cuiusque* XG : *cuique.*

ʿ (*er* significans) omissum ansam dedisse uidetur falsae lectionis C 60.2 *agitur* KΓ : *geritur* et J 56.5 *agunt* NΓ′ : *gerunt*, cum suspicari liceat in Ω extitisse *g^{s}itur* et *g^{s}unt*. Eodem modo variae lectiones J 5.7 *dereliquerat* XDMF : *deliquerat* GH : *reliquerat* P^{1}NKM^{2}T explicari possunt.

ɂ (*ur* significans) C 52.27 *conuertat* Π : *conuertatur* ΣKGM^{2}T (*uertat* N : *uertatur* Hγ) — J 25.7 *rapiebat* PN : *rapiebatur.*

Addas duo exempla praestantissima:

quō : quo J 32.5 *quoniam* Π : *quo.*

scđ : sed J 14.3 *secundum* XN : *sed.*

M a i u s c u l i s litteris librarius Ω passim usus est. Ut initium et Catilinae et Iugurthae hac litteratura certe scripta fuit, ita non dubium est, quin in Ω passim usurpata sit consuetudo maiusculis scribendi praenomina, nomina mensium, alia, siue omnes uocum litterae scribebantur siue notae adhibebantur. Praeterea notae in usu erant in *TR. PL* (tribunus plebis), *P.R.* (populus romanus), *R.P.* (res publica), *P.C.* (patres conscripti), *S.C.* (senatus consultum) et fortasse *PR.* (praetor). Et ipsa natura notarum secum tulit, ut notae facile exciderent aut propter similitudinem permutarentur aut alia menda crearent. Ut J 73.7 *T(itus)* praen. in omnibus libris praeter PP^1 deest, tum J 30.3 magnam uarietatem lectionum similitudine notarum *R.P.* et *P.R.* effectam esse crediderim, qua de re infra p 66 egi; denique cum notarum usu casus non discernerentur, fieri potuit, ut librarii notas explentes alii alium casum scriberent uelut in J 100.5 *reip.* PBHγ′ *resp.* P^{2}P^{4}KM^2 *re^{i}mp.* P^1 (in N notae seruatae sunt : *r̄ p̄*).

Per h a p l o g r a p h i a m multa menda in libris exorta sunt. Exempla praeclarissima haec adfero:

C 49.4 *atque⟨e⟩mentiendo* KGΓ′ — J 11.6 *adop⟨ta⟩tione* P^{4}ZM^{2}TF — 25.9 *⟨di⟩ducta* X — 31.19 *dedi⟨ti⟩cius* P^{2}BGM^{2}D — 44.3 *labo⟨ra⟩re* ΠNK — 58.3 *si⟨n⟩ numidae* Y (— G) — 31.28 *maleficii ⟨i⟩memorem* (omnes libri praeter N). Et sic totae uoces exciderunt:

J 46.8 *⟨in⟩incerto* XN *incertum* Γ′ — 88.3 *⟨in⟩itinere* Y — 97.3 *aderat ⟨et⟩* KGΓ — 97.2 *accepit ⟨et⟩* Y.

Contra d i t t o g r a p h i a e uitia his locis agnosco:

C 15.2 *qui ⟨quod⟩* Y — 52.12 *illi⟨s⟩ sanguinem* P^{4}Y — J 85.33 *hoste⟨s⟩ ferire* NKHγ : *hostem f.*

Paucis locis dubitatio existit, utrum haplographia an dittographia sumenda sit:

J 10.7 *qui aetate* XN : *qui<a>aetate* — 60.3 et 65.1 *pau<lu>lum* — J 74.3 *tuta<ta>sunt*.

B. Ω uocibus i n t e r l i n e a r i b u s abundabat. Quamquam non tam audax leuisque animi sum, ut omnes lectiones quas in b) et d) supra collocaui ad hanc causam reuocem, tamen mihi persuasi multas lacunas uerborumque collocationes dispares hinc pendere. Et apparet ipsi Ω non adtribuenda esse quaecumque menda huius generis in singulis libris familiisue inueniuntur. Ut Ω meo quidem iudicio plerumque liberandus est omnibus iis tranpositionibus uerborum quae sunt in γ et γ′ et Γ′, quas puto aut neglegentia scribendi aut corrigendi studio librariorum factas esse. Sed si librorum utriusque stirpis altera pars uerba omisit quae in altera extant, aut in altera parte eadem uerba alio ordine atque in altera tradita sunt, iure suspiceris dissimilitudinis causam in ipso Ω sitam esse. Pauca exempla eligam quibus hanc rem illustrem:

C 58.11 *pro potentia paucorum pugnare* PBGHγ : *pugnare pro pot. pauc.* (*paucorum pot.* P⁴), i. e. *pugnare* in Ω intra lineas scriptum fuit.

J 15.2 *senatus magna pars* XGT : *magna pars senatus* M²MF

pars
magna senatus D *magna senatus pars* M¹ *senatus* ss P¹ om NH; quo loco crediderim P¹ quasi effigiem archetypi Ω praebere :

senatus
magna pars. Tum Γ noua eiusdem generis, scriptura imbutum erat eadem prorsus exhibens quae in D tradita sunt.

J 95.4 *pudet an pige(a)t magis* PP¹P²NK : *pude(a)t magis an pige(a)t*

magis
P⁴GY : *pudet an pigeat* B. Ut J 15.2 P¹, ita his B scripturam archetypi reddit.

Itemque J 99.3 *tumultu formidine terrore* XNK : *tum. terrore formidine* P⁴Y (*formido* M²T) dispar ordo probare uidetur subst. *terrore* inter uersus collocatum fuisse. Et qui ordinem uerborum multis modis transmutatum J 54.5 *regis etiam tum animum* PP²Z : *regis etiam animum* P¹ : *etiam regis tum animum* BM² : *regis animum etiam tum* P⁴ : *etiam tum regis animum* Γ′ uiderit, ei dubium esse non poterit quin in Ω *etiam tum* supra scripta fuerint. Neque aliter iudicare debemus J 61.4 percensentes : *de Massiuae nece* XNK :

Massiua de nece P¹: *de* om GΓ′, ubi praepositionem *de* super *Massiuae*
locum habuisse manifestum est. Denique J 63.6 commemoro, ubi totum enuntiatum *nam postea ambitione praeceps datus est* inter uersus archetypi scriptum uidetur, quoniam quidem praeter ordinem in multis libris traditum: *uir nam p. amb. p. d. e. appetere non audebat* in K et H m. 2 haec leguntur: *uir appetere non audebat nam p. amb. p. d. e.* et in P¹ tale monstrum extat quale: *uir nam datus adpetere non audebat*, ut, si Dietschium recte intellego, uoces *postea amb. praeceps* omissae sint (cf e, ubi textus multo plus deprauatus est).

L a c u n a s librorum eadem causa exortas esse posse lectionibus J 61.4, quas nuperrime adtuli, comprobatur. Cf etiam J 85.27 *animi mei* XNKD: *mei* om P¹GΓ′. Et in libris e duobus exemplaribus conscriptis lacunarum originem ab ipsa contaminatione saepe quaerendam esse antea plus semel commonui.

At loci non pauci inueniuntur, ubi merito haesites, uccesne quaedam in his libris omissae an in illis additae sint. Quod praecipue ad uerbi substantiui formas *est sunt esse* spectat. Nam quisquis libros etiam antiquissimae aetatis uel obiter inspexit, eum fugere non potuit has formas a librariis addi solere. Quod etiam in Ω factum esse satis est lectiones C 1.3 protulisse: *rectius esse uidetur* XNM²T : *rectius uidetur esse* BKGHγ. Noua igitur in talibus locis existit difficultas, cum nobis deliberandum sit, utrum librarius Ω per se ipse eas formas quibus sententiae explerentur addiderit, an Sallustius copulam scripserit librariusque socordia quadam scribendi adductum eam inter uersus collocauerit. Quam quaestionem equidem existimo non ita solui posse, ut quid Sallustius uere scripserit ubique decernamus; quamquam sermo Sallustianus certis exemplis comprobatus uiam nobis patefacere potest locos incertos emendandi. Itaque id ante omnia nobis cauendum est, ne omnes locos una ut dicitur pertica tractemus. In J 85.45—47, ubi *est* copulam in aliis codicibus alibi collocatam ter reperimus, uarietas librorum nobis suadet, ut copulam in Ω supra scriptam sumamus:

J 85.45 *exercitus ibi est* XN : *exercitus est ibi* Y (*est* om F)

85.46 *attrita est* libri praeter : *est attrita* G *est* ss P¹N om M²

85.47 *aetas est* XNH : *est aetas* P⁴Y (omnibus tribus locis K deest).

Et si extremo loco copula, quippe quae sit in enuntiato relatiuo *quibus militaris aetas est* difficilius abest, in duobus ceteris iusta causa est dubitandi, copulane *est* a librario adiecta fuerit. At utrocumque modo de ipso sermone Sallusti iudicamus, id non est ne-

gandum, in Ω copulam supra scriptam fuisse. Quod caput est huius disputationis. Ceterum hos locos inspicias:

J 28.6 *transuectae sunt* Y : *sunt* om XN (K deest) — 31.25 *est domi* XKG : *est* om Y — 94.3 *ipse extra est uineas regressus* P: *ipse extra uineas est regressus* P^1Y : *ipse extra uineas egressus est* P^4 : *ipse extra uineas regressus* (om *est*) P^2BH, qui omnes maximeque J 94.3 collocationem copulae de qua loquimur testantur.

Quae de uerbo substantiuo nunc diximus, ea ad alias quoque uoces pertinent, uelut coniunctiones *et sed ut ne* et pronomen determinatiuum *is*. Ut illae formae *est sunt esse*, praesertim si per notas scribebantur, ita hae a librariis facillime omitti poterant.[1] Et ut illae ita hae uoces addi solebant, quo sententia conexusque sententiarum magis perspicua fierent.

Ut quaestionem illam omittam, quid Sallustium scripsisse censeamus, nunc paucos locos adferam, quibus me iudice Ω has uoces supra scriptas habebat:

C 32.1 *antecapere ea quae* Y : *ea* om X — 58.21 *cauete ne inulti* P^1Y : *ne* om X (ss P^4) NGHD — J 77.1 *suam salutem et illorum socios* P^4Y : *et* om X — 85.7 *labores et pericula* XGT : *et* om P^4Y — 102.9 *et uim et gratiam* PP^2BG : prius *et* om rell.

Paulo aliter res sese habet in:

J 85.4 *est et uirtute et* NM^2 *est ex uirtute et* Γ' : *est uirtute et* XKG ubi *est*, cum *et* antecedat, facillime potuit excidere.

Contra J 102.10 *multa atque oportuna* PP^2BG : *atque* om rell. iudicare non ausim, utrum *atq.* in Ω inter uersus scriptum fuerit an per haplographiam in libris, ubi deest, omissum. Quod denique attinet ad uarietatem librorum

J 9.2 *senatui populoque Romano* $P^1P^2P^4NM^2$: *sen. et pop. Rom.*

J 94.2 *ascendens descendensque* $XNKM^2$: *asc. et descendens* mihi probabile uidetur *que* in Ω fuisse, quod cum excidisset, *et* ut asyndeton tolleretur insertum esse. Neque enim fieri potuit, ut hic asyndeton in archetypo a principio traditum in illis libris *que* adfixo, in his *et* inserto deleretur. Quod oratione Sallusti uetatur. Videas partis III cap. 2.

Hic mihi commemorandus est locus uehementer uitiatus C 55.5. Lectionem exemplaris Γ *per indices* — idemne Γ' habuisse non constat, cum quae littera in H erasa esset frustra laboraui ut

[1] Vide p 61, ubi exempla *et* coniunctionis per haplographiam omissae adtuli.

cognoscerem — nullius momenti esse ad lectionem archetypi Ω restituendam in propatulo est. Neque enim dubium est, quin praepositio *per* ad eam rem addita sit, ut substantiuum *indices* sensum quendam in enuntiato adipisceretur. Ut certi quid eruatur, a uariis lectionibus ceterorum codicum proficiscamur necesse est. Et hi codices in duas partes distrahuntur. Cum BP^4N nihil aliud nisi *indices* perhibeant, reliqui ante *indices* uoculam quandam praemittunt: *ei* P^1 *et* PKG, ad quos P^2 accedit in ea re dissimilis quod *uindices*, non *indices* uidetur habuisse.[1] Et *indices* et *uindices* scripturae archetypi Ω *uīdices* deberi quis est quin uideat? At quid sibi uult uocula illa *et* uel *ei?* Nisi fallor, P^1 unus recte *ei* scripsit, ceteri *t* pro *i* perperam legentes *et* finxerunt. Ergo pron. determinatiuum, quod ad enuntiatum relatiuum subsequens *quibus praeceptum erat* refertur, in Ω supra scriptum fuit.

C. Tum in Ω passim adscriptae erant glossae et substantiua et uerba, quibus sensus aut uocis aut sententiae explicaretur magisque perlucidus fieret. Si eae glossae quae non nisi in Y sunt: C 25.5 *sales*, 30.6 *decreuere*, 32.1 *praeuenire*, 42.2 *paulo* alia id genus excipiuntur, quas non opus est Ω adiudicare, nonnullae supersunt, quas non liceat Ω fraudare. De C 35.1 *salutem* p 12 iam egi. Alia exempla sunt:

J 40.3 *iusserit* PP^1P^4 : *iusserit decreuerit uoluerit* rell (*decreuerit uel uoluerit* ss P^4). In Ω *decreuerit uoluerit* supra scripta erant.

J 41.1 *et factionum* N : *et senatores factionum* ΠGΓ' (*senatores* expunxit D, *et senatus* ||| *et factionum* [fuit *senatores*] M^2 *et senatus factionum* ΣK (Tm. 2). Ω igitur habuit : *et factionum* ss *senator.* Contra uerba quae praecedunt, in Ω hoc modo tradita esse: *ceterum mos partium popularium* consensu omnium librorum comprobatur. Propter quae suspicor *senatores* additum esse ut adiectiuo *popularium* responderet. Et animus inclinat, ut putem ipsum adiect. *popularium* glossae uicibus fungi. Tum genuina scriptura Sallusti in libri D margine ab alia manu adscripta extat: *ceterum mos partium et factionum.* Atque praeterquam quod hae uoces et *popularium* et *senatores* sapientiam glossatoris maximopere sapiunt, sermo Sallustianus

[1] Scripsit mihi Lebègue in P^2 nunc legi ||| *indices* et procul dubio erasa esse *et u* uel *& u.*

qui ἰσόκωλα amat requirere uidetur, ut hae duae uoces aut recipiantur aut tollantur.[1]

eligere

J 43.3 *milites scribere* Ω : lectionem genuinam glossa carentem duo tantum libri NM^2 seruarunt, glossam *eligere* unus D praetulit, reliqui et *scribere* et *eligere* simul receperunt: *eligere scribere* XKGH, *scribere eligere* MF, *eligere praesidia scribere* TM^1, textum iam uitiatum etiam plus corrumpentes.

J 58.4 *clamorem uel tumultum hostilem* XNK (*uel* eras) GHT *clamorem et tumultum host.* P^4 : *clamorem hostilem* Υ, *clamorem (uel tumultum hostilem* ss) M^2. E dissimilitudine lectionum effici

t tumultum

credo in Ω extitisse: *clamorem hostilem.*

J 81.3 *si dux romanus* PP^{2}BGT : *dux* om rell. Equidem Dietschium secutus hoc substantiuum *dux* glossam habeo in Ω supra scriptam, qua adiectiuum *Romanus* quasi adminiculum adipisceretur.

Cum his locis cognatus est:

J 30.3 *monere P.R. ne libertatem* PB *(mouere) : monere rem p. ne libertatem (p. romanum* corr.) P^1 *: monere ne populum romanum ne libertatem* P^2 *: monere* $\bar{p}$ $\bar{r}$ (ss m. 2) *ne rem publicam ne libertatem* N : *monere p. r. ne rem publicam ne libertatem* P^{4}GΓ′ (K deest). Quid in Ω fuerit non sine maxima dubitatione dicere ausim; sed quae mihi uerisimilia uideantur proferam. Lectio librorum PB cum P^1 collata nos monet, ut in Ω traditum fuisse credamus *monere P. R.* ss *R.P.*; quae duae lectiones in Y in unum coaluit. At sic prius *ne*, quod omnes libri praeter PP^{1}B perhibent, non est explicatum. Fieri potest, ut haec coniunctio a posteriore loco huc quoque transducta sit. Sed credo aliam rationem explicandi quare haec particula iterata sit nobis praesto esse. Si sumimus ante litteras *R.P.* supra scriptas notam *ut*, i. e. *uel*, praecessisse et librarios P^{2}Y propter similitudinem scripturarum *ne* et *ut* illud pro hoc scripsisse, hac uia omnibus lectionibus satisfactum est.

Sed satis sit exemplorum!

3. Quo t e m p o r e archetypus Ω exaratus fuerit non liquet. Id unum constat hoc ante saec. X factum esse, cum hoc saeculo uetustissimi libri scripti sint. Et reputantes hos libros non ex ipso Ω transcriptos esse sed plura exemplaria iam tum in usu fuisse,

[1] Idem de hoc loco Dietsch iudicat praef. p 79.

sumere cogimur Ω ante tempus haud ita paruum ortum esse. Itaque ad saec. IX deducimur.

P a t r i a m archtypi Ω Franciam fuisse conicere licet. Et scimus aetate quae uocatur Carolingica et Parisiis et aliis locis huius terrae litteras scientiasque antiquas maximo studio cultas et libros auctorum et latinorum et graecorum diligentissime transcriptos esse. E Francia duo saltem exemplaria in regiones finitimas Sueziae et Germaniae transmigrauerunt, et in claustris harum regionum exemplaria breui multiplicata sunt. Ut traditum est codicem Pal. 889 siue Nazarianum in monasterio sancti Nazarii in regionis Hessen inferiore parte siti scriptum esse, ita probabile iudico patriam et libri K et aliorum Germanicorum eandem fuisse regionem, quod constat domicilium fuisse multorum claustrorum auctores latinos et colentium et excribentium.

CAP. II.

Codices integri.

1.

De uniuersa indole integrorum.

1. Integri ii codices uocantur, in quibus permagna illa lacuna Iugurthae capp. 103.2—112.2 eadem manu qua Catilina et reliqua Iug. pars scripta extat.

Integrorum copia maxima est. Dietsch non minus quam 23 libros adhibuit: Parisinos 5, Monacenses 4, Lipsienses 4, Guelferbytanos 8, Rulandianum 1, Hauniensem 1. Aetate hi libri uehementer differunt. Duo, Monacensis 14777 (**m** siglo notatus) et Lipsiensis bibl. senat. Rep. I fol. 4 (Dietschio et mihi **s**, Maurenbrechero S) XI saec. scripti sunt, nonnulli saec. XII et XIII, plurimi saec. XV exarati. In quibus omnibus collatione Dietschi utor, nisi quod librorum uetustissimorum **m** et **s** in hoc Kroker, bibl. senat. Lipsiensis praepositus, in illo altero amicus meus Lindroth locos dubios mihi benigne iterum contulerunt et ipse aestate anni 1910 multos locos inspexi.

Tum duos integros saec. XI, quibus Maurenbrecher in ’lacuna’ Iug. recensenda usus est, ipse totos percussi. Libri hi sunt[1]:

Leidensis Voss. Lat. N. 73 (mihi **l**, Maurenbrechero L), saec. XI, membranaceus 8⁰. Hic liber folia 63 habet et in quaterniones numeris latinis signatus diuisus est. Inde a pag. 40^b omnium foliorum marginis extremi plus minus abscissum est, ut primum paucae litterae, tum plura perierint. Desinit J 109.4 *interpretes adhibentur praeterea*||. In quattuor primis quaternionibus pp 1^b—32^a lineae paginarum sunt 31, p 31^b lineas habet 32, reliquae omnes non plus quam 26 lineas habent. Numeros litterarum, quae sunt in lineis, propter disparem magnitudinem litterarum uehementer uarius est. Pag. 42^a glossis alia

[1] Cf Maurenbrecher Sallustiana pp 7 et 8.

manu supra scriptis abundat, in ceteris paginis huius modi glossae parce inueniuntur.

Parisinus 6086 (mihi **n**, Maurenbrechero P3), saec. XI membranaceus 8, foliorum 72. Hic liber J 106.5 *iamque noct* desinit, ubi alia manus pergit c. 108.2 *consulto sese* finiens. Ut paginae 27 lineas constanter habent, ita in lineis 45—50 litterae uulgo scribuntur. Glossae et lectiones aliunde petitae desunt; paucis locis alia manus conspicitur. In ultima pagina 72^b media haec leguntur: *fiat uoluntas* | *tua* | *sicut in celo* | *petrus* et spatio interiecto: *lib sā petri nesbacj.*

2. Primum omnium id mihi impositum est ut inquiram, num libri integri ex alio fonte atque mutili fluxerint, i. e. aliamne recensionem integri atque mutili reddant. Qua de re uiri docti alii aliam sententiam dixerunt. Roth[1] integros et mutilos duas classes efficere existimans originem integrorum ab exemplari pleno et quod antiquius sit archetypo mutilorum deducit; quo factum esse, ut in integris, etiamsi uoluentibus annis textus eorum multis uariisque modis deprauatus esset, lectiones ueteres ideoque meliores laterent. — Dietsch[2] integros ex eadem stirpe atque mutilos prognatos esse censet iisque ’lacunam’ Iug., cum quaternio amissa post tempus quoddam reperta esset, additam esse. — Eandem fere sententiam Iordan[3] profitetur. ’Quoniam’, inquit, ’eis locis, quibus uerba quaedam excidisse apparet, primum alterumque genus (i. e. mutili et integri) ita consentiunt ut in illo plerumque hiet oratio, in hoc ex arbitrio sarta sit, deinde quoniam grauiter corrupta aeque exhibent antiqui et recentiores libri, archetypum generis alterius ex ipso primi generis archetypo aut ex quodam eius exemplo parum emendate scripto prodiisse, sed accessisse ex alio quodam codice partem in mancis exemplaribus omissam’. Et hanc opinionem argumento haud contemnendo confirmauit. Cum enim obseruasset in multis integris item ut in plerisque mutilis J 103.2 post uerba: *tum rursus Bocchus* aduerbium *feliciter* insertum esse, cumque originem huius glossae sagacissime explicasset sumens id ’in uerborum ordinem e margine inrepsisse ibique scriptum esse ab eo librario qui, cum post *necessariorum* codex siue truncatus siue hiatu scripturae lacer esset, feliciter finire Iugurtham indicaret’, conclusit integrorum archetypum

[1] Rhein. Mus. 9 p 135.

[2] praef. p 15.

[3] praef. I ed. p XVII.

a genere mutilorum pendere. — Woelfflin[1] quasi mediam inter has duas uiam sequi uult. De ratione quae est inter integros et mutilos hoc fere modo loquitur: saec. X uel XI non modo folia deperdita archetypi mutilorum reperta esse sed etiam nouum exemplar integrum, qui archetypus esset codicum integrorum. Quod exemplar, quamquam discrepantiis neque multis neque grauibus ab archetypo mutilorum insigne esset, tamen proprietatibus quae fontem antiquum saperent imbutum esse; et probabile esse multas harum proprietatum in libris ab hoc exemplari transcriptis extinctas, quippe quorum textus contaminatione quadam integrorum et mutilorum mixtus esset. Woelfflin igitur existimat in integros lectiones duorum fontium confluxisse et uestigia integri exemplaris agnoscit, ubicumque lectiones integrorum cum testimoniis scriptorum antiquorum contra testimonium mutilorum consentiunt. — Denique Maurenbrecher primum[2] certo iudicio se abstinuit; nam quod hic dicit sententiam Iordani in nonnullis integris ueram esse non multum nobis prodest, quoniam ad quos integros haec eius uerba spectent in incerto relinquimur. At post[3] obseruatione Iordani, cuius mentionem nuper feci, nisus de integris aliud docet. Quamquam Iordanum de origine aduerbii *feliciter* recte iudicasse concedit, tamen quod ille inde conclusit impugnat. Cum enim nonnulli integri iique optimi aduerbio *feliciter* careant, id effici dicit hanc glossam ab hoc genere[4] librorum principio alienam fuisse; quod esse documento integros non a mutilis suppletis pendere sed sui iuris esse. Eos autem integros, in quibus *feliciter* traditum esset, aut e mutilis hoc aduerbium accepisse aut e ueris 'suppletis' transcriptos.

Tribus igitur modis docti uiri ortum integrorum exposuerunt. Cui sententiae indulgeamus, meo quidem iudicio in his duabus rebus situm est, num quae lectiones peculiares o m n i u m integrorum communes reperiantur et num eadem diuisio familiarum, quam in mutilis cognouimus, ad integros quoque pertineat. Si integri ad fontem a mutilis diuersum uere reuocandi sunt, uestigia huius fontis reperiantur necesse est, i. e. o m n e s integri paucis saltem lectioni-

---

[1] Rhein. Mus. 17 p 533.

[2] Jahresbericht p 206.

[3] Sallustiana p 3 sq.

[4] Quod dicit integros aliud genus (»Gruppe«), non aliam classem (»Klasse«) atque mutilos efficere, me hanc subtilem inutilemque distinctionem intelligere non posse confiteor.

bus communibus quaeque a mutilis absint praediti esse debent. Nam lectiones unicuique libro proprias nihil probare in propatulo est. Sed ut familiae mutilorum suis quaeque mendis siue lacunis siue uocum transpositionibus siue aliis agnoscuntur, ita stirps integrorum, si uera stirps est a mutilis distans, iisdem rebus excellere debet. At mirum accidit, quod nullum inueni locum, quo omnes integri coniuncti contra alteram classem faciant. Qua re credo opinionem Rothi et Maurenbrecheri non minimum debilitari.

Contra integri praecipueque antiquissimi eorum et cum totis familiis et cum singulis libris mutilorum tam arta affinitate contrahuntur, ut dubium esse nequeat, quin hi et illi ex iisdem fontibus hauserint. Namque ut consensus librorum, qui semel tantum occurrit, fortuitus esse potest neque ad cognationem probandam multum ualet, ita ea concordia, quae est constantior, e communi origine necessario repetenda est. Quod si iidem integri cum iisdem mutilis crebro consentiunt et iisdem mendis laborantes et easdem lectiones omnino perhibentes, necesse est sumamus utrosque eodem exemplari usos esse. In nostra de mutilis disputatione iam commemorauimus **l** cum Π (P) et **n** cum Σ et M^2T insignem in modum congruere, et talem concordiam ad plerosque integros pertinere mox infra ostendam. Ergo similitudines integrorum et mutilorum ita explicandae sunt, ut aut ad id tempus referantur, quo mutilorum classis nondum orta sit, i. e. antequam archetypus mutilorum extremam Iug. partem amiserit, aut mutili praeter commune illud exemplar mancum alterum exemplar integrum adhibuerint, i. e. integri ex exemplaribus mutilis uarii generis generati sint, ea in re cognatis suis dissimiles quod lacunam illorum suppleuerunt. Cumque prima ratio similitudinum explicandarum in uniuersum nullo modo possit cogitari, sequitur, ut alteram accipiamus. Ergo contendo integros et mutilos non duas esse stirpes eiusdem arboris, sed utrosque ex una arbore ita enatos, ut, licet plures sint stirpes, tamen eadem stirps et integros et mutilos simul complectatur. Quod si recte disputaui, ea pars Iugurthae, quae in mutilis deest, in integros, ut ita dicam, extrinsecus accessit, et inter mutilos quos 'suppletos' uocant et integros nullum aliud est discrimen, nisi quod in his eadem manus, in illis alia lacunam expleuit.

At, inquis, quid de *feliciter* illo inserto iudicemus? Haecne una uox tantam uim habet quantam ei Maurenbrecher uindicauit, ut omnia quae supra comprobauimus euertantur? Quantum scio,

hoc statim concludamus necesse non est. Obseruandum enim est etiam ab uno mutilo, P^2, hanc glossam abesse. Quare fieri p o t e s t, ut id quoque exemplar mutilum, quo usi sunt illi integri, hoc aduerbium omiserit. Non quod adseuerauerim ipsum exemplar codicis P^2 archetypum fuisse horum integrorum; sed quia hi ipsi integri — quod infra ostendam — cum X proxime cohaerent et quia unum saltem codicem X stirpis *feliciter* omisisse uidimus, nihil impedire mihi uidetur, quin alii quoque libri ex eadem stirpe oriundi in ea re P^2 similes fuerint, quod hanc glossam in textum non intruserunt. Ceterum ea ratio *feliciter* explicandi, quam Iordanum ingeniose excogitasse non negauerim, maxime incerta mihi uidetur. Neque enim quidquam causae esse uideo, cur hoc ipso loco id sit insertum, quoniam in codicibus mutilis non minus quam in integris Iugurthae liber hic finitur, sed cap. 103.2 nullo interstitio facto a capp. 112.3—114 excipiantur. Quod si ita est, quid sibi uelit hoc aduerbium *feliciter* merito quaeras, si modo sumimus id eo sensu esse, quem ei tribuerunt Iordan et Maurenbrecher.

Quod adtuli, ut uim argumenti Maurenbrecheri aliquid infringerem. Neque tamen hac praecipue re meum de origine integrorum iudicium nititur. Mihi unica concordia lectionum bonarum et malarum, quam mutili et integri diserte profitentur, argumentum est grauissimum quodque omnia quae contra dici possint irrita faciat.

Qualem igitur rationem, quae est inter mutilos et integros, esse cogitemus? Erat tempus, saecula IX et X explens, quo causa nobis incognita integra exemplaria Sallusti quasi ex officinis librorum extincta essent. Hoc tempore interiecto eiusmodi exemplaria reperta sunt, quae librarii, cum maxima esset copia exemplarium mutilorum, ad eam imprimis rem adhibuerunt, ut lacunam illam, qua illi alteri laborabant, supplerent. Sed uix cogitandum est librarios hoc supplendi opere contentos fuisse neque in ceteris partibus ullam habuisse rationem exemplarium nouorum. Nimirum totum textum ad integra exemplaria passim correxerunt. Et uerisimillimum habeo dissimilitudines, quae sunt inter integros et mutilos eiusdem prosapiae, multis locis hinc petendas esse. Frustra tamen a me quaeris, quantum sit in unoquoque integro huic fonti tribuendum. Namque existimo equidem, cum magna sit dissimilitudo integrorum, hoc indagari uix posse. Et licet unumquemque integrum et cum ceteris sui generis et cum mutilis per singula diligentissime comparantes aliquid promamus quod sit ad hanc rem illustrandam idoneum, certe

ex tali comparatione, cui tempus uoluntas uires mihi desunt, fructus, qui labori immenso respondeat, prorsus non potest capi. Id enim caput huius disputationis est demonstrasse integros et mutilos maximam partem indidem fluxisse. Nec tamen omnino neglexi uestigia alterius fontis integrorum persequi. Ut lectiones exemplaris cuiusdam integri eas agnosco, quae P^1N mutilis cum **m** aliisque integris communes sint et quae cum testimoniis consentiant. Cf quae de hoc genere lectionum in parte II 'de testimoniis' sum disputaturus.

In hac igitur uniuersa de integris quaestione ad Woelfflinium quam proxime accedo. Ut is, ita ego existimo integros contaminatione quadam mutilorum et integrorum ortos esse, sed sententiae nostrae ita differunt, ut ego, similitudinum magnitudine permotus, ipsam contaminationem multo minores partes egisse censeam quam ille existimasse uideatur.

2.

Quae sit cognatio cum mutilis integrorum demonstratur.

Cum quibus uinculis cognationis libri utriusque classis coniungantur probaturus sim, stirpium familiarumque quas in cap. I statuimus lectiones proprias iterum recensebo, et quibus in integris traditae sint adnotabo. Sed quoniam ipsa natura librorum secum fert, ut in uetustioribus notae cognationis melius seruentur, in recentioribus eae plus minus deleantur, sequitur ut in cognatione indaganda in uetustissimos, i. e. libros s. XI **lnms** diligentissime inquirendum sit, quos per singula perscrutaturus sum, et librorum s. XII $\mathbf{m^1m^2g^1}$ maior quam ceterorum s. XIII—XV ratio sit habenda. Hos aut omnes aut plurimos siglo ζ saepe complector.

1. Ab iis lectionibus quas p 13 sqq. tractaui initium faciam, ut integrine mutilorum in stirpes X et Y diuisionem participent cognoscam.

	X + i n t e g r i.	Y + i n t e g r i.
b) C 14.2	*ganeo* om **l**, *ganeo alea manu*	*impud. adult. ganeo manu* **nms** cum P^2 plerique ζ
32.1	*antecapere quae* **lnm** (ss *ea*) $\mathbf{m}^2$	*antec. ea quae* **s** ($p^1p^3g^3h\sigma$) (ss *ea*) $\mathbf{g}^1$
35.1	*salutem* om **ln**	*L. Catilina salutem Q. Cat.* NΓ + $\mathbf{mm^1m^2g^1}$ *L. Catilina Q. Cat. salutem* KGH+ζ

J 25.9	*ducta* nullus integer	*deducta* HM^2+(p^{1}p^{3}gg^{6}s^{1}rσμγ) *diducta* rell
50.5	*ubi* (pp^{1}p^{3}gg^{2}g^{5}g^{7}s^{1}s^{2}rσμγ) *ubique* N+**l**	*ubicumque* **n m s m^1 m^2 g^1** (g^{3}g^{4}g^{6}h)
85.12	*atque ego* **l s** (ζ)	*at ego* **n m m^1 m^2 g^1**
85.23	*quasi lumen* **l** (ζ) (*quasi posteris* g^{1}s^{1}γ)	*quasi* om **n m s m^2** (g^{3}g^6)
88.3	*in itinere* **l n m m^1 m^2 g^1** (ζ)	*in* om **s** (p^{1}p^{3}g^6)
97.2	*accepii et* **l n m^1 g^1** (ζ)	*et* om **m s m^2** (ζ)
e) C 23.6	*inuidia aestimabat* PP^4+**m^2** (estu‖abat) *inuidiam aestimabat* P^{1}P^{2}B+**n**	*inuidia aestuabat* **l m s m^1 g^1**(ζ)
25.2	*psallere et cantare* **p s^1** σ *psaltare et cantare* **g^1 g^4** (*salt.*) *et cantare psallere* **g^2**	*psallere et saltare* **l n m** (ζ) *psallere et psaltare* G+**s**(p^3)
31.5	*aut sui* **l** (eras *a* ss *et*) **n g^1** (ζ)	*et ut sui* Zγ+**m s m^1 m^2** *et sui* H+**s^{1}g^{7}h** *ac sui* **g g^2**
J 46.8	*an praesens* **l n g^1** (ζ)	*uel praesens* **m m^1 m^2** (g^{3}s^{2}h) (*aut praesens* **s** *et pr.* K+**g^6**)
92.7	*et altis* **l** (ps^{1}g^5) *ac talibus* **m** (cf P^{1}m. 1 *talis*)	*et aliis* **n s** (ζ)
93.4	*in castelli planitiem peruenit* PP^{2}B+**g^2 h** *castelli plan. peru.* P^{1}P^4+[1]q	*castelli plan- perscribit* **l n s** (ζ) *castelli plan. perscripsit* **m m^2**
93.6	*ascenderat* **l** (p^{5}g^{2}g^{7}s^{2}q)	*descenderat* **n m s m^2 g^1** (ζ)
94.3	*intentos* **l** (ζ, si fides habenda est Dietschio, quod ualde dubito).	*intentus* **n m s**
94.3	*Numidas* **n** (ζ)	*inuidias* **l m s m^1** (g^3)

Addas quod C 57.1 nullus integer mendo X *Pistorio(n)sem* laborat.

Iam hae lectiones de cognatione, qua integri et inter se et cum mutilis contrahuntur, nos nonnihil docent. Videmus libros integros Parisinos **n** ceterosque **p p^1 p^3 p^5** artius cohaerere itemque Monacenses **m m^1 m^2** ab eadem parte plerumque stare, contra Lipsienses **s s^1 s^2** σ et Guelferbytanos omnes alium alio trahi excepto libro **g^3** qui ubique fere cum Monacensibus faciat. Quod autem ad cognationem cum mutilis

[1] **q** siglo codicem significo, quem Dietsch **l** nominauit.

integrorum attinet, his lectionibus id tantum euincitur ex antiquissimis **l** cum X artissime coniunctum esse, cum quattuor tantum locis ad Y transmigrauerit: ut C 23.6 uitium X et C 25.2 lectionem X aspernatus est, ita J 93.4 et 94.3 falsam scripturam Y accepit. Ceteri integri utrimque stant; et reuera membra utriusque stirpis eos esse mox uiderimus.

2. Tum lectiones stirpis X proprias inspiciam.

A. Et primum eos integros enumerabo, qui a familia Π stant.

Π+*integri*

a) C 30.5 *Ruffus* **l s** (p g g^2 g^4 g γ) — J 18.7 *Nomadas* **m** (h) *numadas* **l**
b) J 9.2 *en* om **l** (g^2) — 61.4 *clam* om **g^{2}h** in mg **m** — 81.2 *iter* ss **m** (cf *iter constituunt* ss PP^1) — 92.1 *atque* om **pp^1**.
e) C 10.2 *alias* **l** — 14.5 *molles etiam et fluxi* **l** — 28.1 *domui* **l** (p^{1}g^{2}s^{1}q) — 52.27 *conuertat* **l** — J 32.5 *quoniam* **l** (g^{1}g^{2}g^{3}g^{4}rhqγ) — 49.2 *belli* **l** — 88.6 *accideret* **l n** — 97.3 *die* **l** (g^7).

Π*NK*+*integri*

a) C 18.2 *Tullo* **l s** (g^3)
b) C 51.4 *p. c.* om **n** (pp^{1}g^2) — J 44.3 *labore* **l** (g^{2}g^5).
e) C 7.6 *se quisque* **l m** — 37.5 *praestabat* **l m s m^2** (p^{5}g^3) — 51.27 *ignaros eius* **l m s** (h).

Π*N*+*integri*.

a) J 90.2 *Manilium* **l** (γ).
b) J 64.1 *eodem quo cupido animi hortabatur intendere uidet* **m** (p^{6}q): cf *intendere uidet* ss Π in mg N — 75.4 *eo* (*que* om) **l** (σ).
c) J 93.4 *intenti a u t proeliantibus* **l** (*intenti proelio aut proeliantibus g^{2}g^6*).
e) C 30.6 *et s. ter ducenta* **l** — 59.3 *colonibus* **l** — J 28.5 *inuidias* **l m** (g^{3}q) 40.1 *senati* **l m m^2** — 69.2 *irae* **l** (q) — 93.5 *eadem* **l m**.

P^{1}N+*integri*.

a) J 29.4 *Vagam* **m s**
b) C 16.2 *signatores* (*que* om) **m m^2 g^1** — 20.6 *considero quae* ss **l** — 39.2 *noxii* **m m^2** (g^{3}σ) — J 102.11 *p. r.* om **m**.
e) C 31.7 *postulare patribus c. ne* **m** (cf c. om **m^2**) — J 14.5 *usui* **m g^1** — 41.9 *semet ipsa* **m g^1** (s^1) — 85.17 *item* **m** (g^{2}g^{3}h) — 85.40 *decora* **g^2** — 85.48 *omnibus bonis* **m** (g^3) — 93.5 *escenderat* **g^1** (gg^2) — 102.5 *primum* pro *optimum* **g^3** — 102.9 *placuisset* **g^3**.

PN+*integri*.

C 55.4 *inculta* **l m s m^2** (g^3) — J 11.3 *impar ei* **l** *impari* **m** PN — 25.7 *rapiebat* **l s m^2 g^1**.

Has tabellas lectionum perlustranti dubium esse non potest, quin **l** membrum quasi constans quoddam sit familiae Π. Namque **l**, etiamsi mendis illis insignissimis J 37.3; 38.2 *Albinus* (pro *Aulus*) et J 102.6 (uideas p 46) non est obnoxius, tamen tot tantasque similitudines cum codicibus huius familiae exhibet, ut eum ex Π manasse pro certo habendum sit. Et eum artissimis cum P uinculis coniungi et inde probatur, quod ubicumque P societatem ceterorum huius familiae librorum deseruit, **l** quoque abest — excepto loco maxime memorabili C 20.6 quo **l** cum P^1 facit — et aliae lectiones P et **l** communes testantur. Inspicias uelim hos locos:

C 10.1 *ingentes* om **l**+PB — 10.2 *optanda* **l**+ΠK — 40.1 *Allogobrum* **l**+PBH — J 31.19 *ad remp.* **l**+PP^2B — 69.2 *uolgum* **l**+ΠB — 85.11 *sibi* om **l**+PP^2B — 85.12 *et acta* **l**+PB — 98.3 *uisui* **l**+ΠM^2.

Videmus igitur P ubique adesse. Et haec sententia quam maxime eo confirmatur, quod in **l** nonnullas lectiones repperi, quae in nullis aliis mutilis nisi in Puno extant, uelut:

lP C 10.2 *alias* — 51.5 *atque aduersa* — 58.4 *quantum* — J 13.5 *omni Numidiae* (corr *dia*) — 14.9 *numquam* (*ne* om) — 19.4 *proximi Hispanias* — 28.2 *Italiae* — 32.5 *Cassius PR* — 50.1 *crebo* — 85.40 *que bonis* om — 95.2 *dicturi*||| ss *erimus* **l** *dicturimus* P — 102.4 *tutus facundia* (-diæ **l**)

E ceteris integris uetustioribus **m** proxime ad Π accedit. Sed ut **l** libro P simillimus est, ita **m** cum P^1N artissime cohaeret. Et hunc consensum multo latius patere hae lectiones indicant, quae sunt in:

mP^1 C 39.4 *possent* — J 14.14 *suis* ss **m**, om P^1 — 18.4 *Persae* ss **m**, om P^1B — 31.2 *quam* (*que* om) — 48.3 *milia XX* (*passuum* om) — 68.3 *Vagam* — 69.1, 3 *Vagenses* — 71.5 *fideliter* om **m** (cf *fideliter apta* P^1) — 85.32 *quippe* ss.

mN C 17.1 *singulos* in mg **m**, ss m^2 *singulos* om NH — 20.3 *quae* post *eadem* ss **m** om N — 36.1 *Flaminium Flammam : Flammam* om — 43.1 *uidebantur* — 58.17 *in praelio* om **m**m^2 ssNT — 61.8 *qui ad ea castra* **m** *qui*||||*de castris* N — J 11.8 *cum animo* ss — 14.25 *Numidiae* (*quod* ss) *uestrum est*||| (eras *quod*) **m**. *Num. 'uestrum est 'quod* N — 30.3 *monere ne remp. ne libertatem* (item $m^1m^2g^2g^4$) — 41.1 *et factionum* (*senatus* om) — 41.10 *terrori fore* **n** *terrae fore* N.

Multo rarius **s** cum Π congruit, quamquam lectiones C 18.2 *Tullo* et 51.27 *ignaros eius* aliae pro hac cognatione testimonium dicunt. Et animaduertendum est, cum J 43.1 *Albini* in **s** traditum

sit, idem mendum non modo in ΠNK sed etiam in G inueniri, ut haesitare liceat, utrum h. l. **s** a Π an a Σ pendere censeamus. Quae dubitatio tolletur, si alios locos, ubi **s** cum Z consentit, infra uiderimus.

Minime saepe **n** lectionum Π particeps est: excepto J 88.6 *accideret*, quod minoris est momenti, uno loco **n** cum Π conspirat: C 51.4, *ubi p. c.* omisit. Neque hoc mirum, cum **n** membrum sit familiae Σ, id quod et ante memorauimus et mox accuratius probabo.

De ceteris recentioris aetatis libris certe iudicare difficile est, nisi quod m^2 uestigia libri **m** plerumque premit et g^2g^3 ceteris crebrius hanc cognationem redolent.

B. Ad lectiones Σ me conuertam.

P^2BP^4+integri.

a) C 31.4 *Plauticia* ($p^1p^3p^5p^6g^1g^7s^2\mu$) — J 28.6 *Hegium* **n** (s^2) *egium* ($p^1p^5gg^5$ alii).

b) C 26.5 *in campo* om **n** ($pp^1p^3p^5p^6gg^1g^2g^4g^5g^7s^1s^2qr\gamma$).

d) J 62.9 *ipse secum* **n** ($gg^2g^7s^1q$).

e) C 26.5 *consuli* **n s** g^1 ($pp^3p^5p^6gg^2g^4g^5s^1s^2r\gamma$) — 29.3 *nulli* **n**$m^2g^1$ (ζ iidem fere ut supra) — J 5.3 *expediam* **n m s** m^2g^1 (ζ ut supra) — 25.4 *in senatu* **l n m** g^1 (ζ) — 41.1 *et senatus factionum* **n** (ζ) — 53.8 *decretant* **n** (q) — 65.3 *imperatori* **n s** g^1 (ζ) — 80.6 *Bocchi* **n** (pauciores ζ).

P^2B+integri.

a) J 55.1 *Auli* **n** g^1 (multi ζ) — 73.7 *Mancilio* g^4 (? *man*||*lio*).

b) C 27.1 *misit* (*di* om) g^1 ($pp^3g^4g^6q\sigma\gamma$) — 30.4 *ii* om **n** g^1 (ζ) — J 79.7 *esse ante uident* om **l** ($p^3g^2g^7s^1$) — 85.38 *illis* om m^1.

c) C 5.9 *reliquerint* e t *ut* **g** (p^3) — 10.2 *otium diuitiae* q u e ($p^1p^5g^2g^4g^5qr\gamma$) — 14.1 *in tanta* i t a q u e *tamque* g^1 ($p^6gg^5\mu$; alii ζ paulo aliter) — 26.4 d i *ssentiret* ($pp^3p^5gg^5s^1qr\gamma$) cf d e-*sentiret* P^2B — 33.2 *aere* c o m m u n i B+gg^7 : *communi aere* p^5 s^2 g^4 **q** σ μ *ex comm. aere* p^3 p^6 g^5 g^6 γ *de com. a.* g^1 *.a com. ae.* **r** cf *aere* (*communi* ss) P^2+g^2 — J 53.4 *capti* s u n t **g** g^7 (cf *sunt c.* p^1) — 61.1 *Jug.* n i t i *nisi* **n s** ($pp^1p^3p^5p^6gg^4g^5s^1s^2qr\gamma$; *nisi niti* g^7) — 100.1 *in hiberna* i t *propter* g^1 ($p^1p^3p^5gs^1s^2r\sigma$) : *in hib.* i t *quia pr.* **m** (in aliis ζ *proficiscitur* pro *it*).

d) J 102.4 *cuius sulla fac.* **p** — 112.3 *sillam sibi* P^2 (*sibi* ss B)+m^2 ($p^1p^5p^6g^2g^3g^4g^6s^2qr\gamma$).

Has tabellas lectionum perlustranti dubium esse non potest, quin **l** membrum quasi constans quoddam sit familiae Π. Namque **l**, etiamsi mendis illis insignissimis J 37.3; 38.2 *Albinus* (pro *Aulus*) et J 102.6 (uideas p 46) non est obnoxius, tamen tot tantasque similitudines cum codicibus huius familiae exhibet, ut eum ex Π manasse pro certo habendum sit. Et eum artissimis cum P uinculis coniungi et inde probatur, quod ubicumque P societatem ceterorum huius familiae librorum deseruit, **l** quoque abest — excepto loco maxime memorabili C 20.6 quo **l** cum P^1 facit — et aliae lectiones P et **l** communes testantur. Inspicias uelim hos locos:

C 10.1 *ingentes* om **l**+PB — 10.2 *optanda* **l**+ΠK — 40.1 *Allogobrum* **l**+PBH — J 31.19 *ad remp.* **l**+PP^2B — 69.2 *uolgum* **l**+ΠB — 85.11 *sibi* om **l**+PP^2B — 85.12 *et acta* **l**+PB — 98.3 *uisui* **l**+ΠM^2.

Videmus igitur P ubique adesse. Et haec sententia quam maxime eo confirmatur, quod in **l** nonnullas lectiones repperi, quae in nullis aliis mutilis nisi in Puno éxtant, uelut:

lP C 10.2 *alias* — 51.5 *atque aduersa* — 58.4 *quantum* — J 13.5 *omni Numidiae* (corr *dia*) — 14.9 *numquam* (*ne* om) — 19.4 *proximi Hispanias* — 28.2 *Italiae* — 32.5 *Cassius PR* — 50.1 *crebo* — 85.40 *que bonis* om — 95.2 *dicturi*||| ss *erimus* **l** *dicturimus* P — 102.4 *tutus facundia* (-diæ **l**)

E ceteris integris uetustioribus **m** proxime ad Π accedit. Sed ut **l** libro P simillimus est, ita **m** cum P^1N artissime cohaeret. Et hunc consensum multo latius patere hae lectiones indicant, quae sunt in:

mP^1 C 39.4 *possent* — J 14.14 *suis* ss **m**, om P^1 — 18.4 *Persae* ss **m**, om P^1B — 31.2 *quam* (*que* om) — 48.3 *milia XX* (*passuum* om) — 68.3 *Vagam* — 69.1, 3 *Vagenses* — 71.5 *fideliter* om **m** (cf *fideliter apta* P^1) — 85.32 *quippe* ss.

mN C 17.1 *singulos* in mg **m**, ss $\mathbf{m}^2$ *singulos* om NH — 20.3 *quae post eadem* ss **m** om N — 36.1 *Flaminium Flammam : Flammam* om — 43.1 *uidebantur* — 58.17 *in praelio* om $\mathbf{m}\mathbf{m}^2$ ssNT — 61.8 *qui ad ea castra* **m** *qui*||||*de castris* N — J 11.8 *cum animo* ss — 14.25 *Numidiae* (*quod* ss) *uestrum est*||| (eras *quod*) **m**. *Num. 'uestrum est 'quod* N — 30.3 *monere ne remp. ne libertatem* (item $\mathbf{m}^1\mathbf{m}^2\mathbf{g}^2\mathbf{g}^4$) — 41.1 *et factionum* (*senatus* om) — 41.10 *terrori fore* **n** *terrae fore* N.

Multo rarius **s** cum Π congruit, quamquam lectiones C 18.2 *Tullo* et 51.27 *ignaros eius* aliae pro hac cognatione testimonium dicunt. Et animaduertendum est, cum J 43.1 *Albini* in **s** traditum

sit, idem mendum non modo in ΠNK sed etiam in G inueniri, ut haesitare liceat, utrum h. l. **s** a Π an a Σ pendere censeamus. Quae dubitatio tolletur, si alios locos, ubi **s** cum Z consentit, infra uiderimus.

Minime saepe **n** lectionum Π particeps est: excepto J 88.6 *accideret*, quod minoris est momenti, uno loco **n** cum Π conspirat: C 51.4, ubi *p. c.* omisit. Neque hoc mirum, cum **n** membrum sit familiae Σ, id quod et ante memorauimus et mox accuratius probabo.

De ceteris recentioris aetatis libris certe iudicare difficile est, nisi quod $\mathbf{m}^2$ uestigia libri **m** plerumque premit et $\mathbf{g}^2\mathbf{g}^3$ ceteris crebrius hanc cognationem redolent.

B. Ad lectiones Σ me conuertam.

P^2BP^4+integri.

a) C 31.4 *Plauticia* ($p^1p^3p^5p^6g^1g^7s^2\mu$) — J 28.6 *Hegium* **n** (s^2) *egium* ($p^1p^5gg^5$ alii).

b) C 26.5 *in campo* om **n** ($pp^1p^3p^5p^6gg^1g^2g^4g^5g^7s^1s^2qr\gamma$).

d) J 62.9 *ipse secum* **n** ($gg^2g^7s^1q$).

e) C 26.5 *consuli* **n s** $\mathbf{g}^1$ ($pp^3p^5p^6gg^2g^4g^5s^1s^2r\gamma$) — 29.3 *nulli* **n**$\mathbf{m}^2\mathbf{g}^1$ (ζ iidem fere ut supra) — J 5.3 *expediam* **n m s** $\mathbf{m}^2\mathbf{g}^1$ (ζ ut supra) — 25.4 *in senatu* **l n m** $\mathbf{g}^1$ (ζ) — 41.1 *et senatus factionum* **n** (ζ) — 53.8 *decretant* **n** (q) — 65.3 *imperatori* **n s** $\mathbf{g}^1$ (ζ) — 80.6 *Bocchi* **n** (pauciores ζ).

P^2B+integri.

a) J 55.1 *Auli* **n** $\mathbf{g}^1$ (multi ζ) — 73.7 *Mancilio* $\mathbf{g}^4$ (? *man lio*).

b) C 27.1 *misit* (*di* om) $\mathbf{g}^1$ ($pp^3g^4g^6q\sigma\gamma$) — 30.4 *ii* om **n** $\mathbf{g}^1$ (ζ) — J 79.7 *esse* ante *uident* om **l** ($p^3g^2g^7s^1$) — 85.38 *illis* om $\mathbf{m}^1$.

c) C 5.9 *reliquerint et ut* **g** (p^3) — 10.2 *otium diuitiae que* ($p^1p^5g^2g^4g^5qr\gamma$) — 14.1 *in tanta itaque tamque* $\mathbf{g}^1$ ($p^6gg^5\mu$; alii ζ paulo aliter) — 26.4 *dissentiret* ($pp^3p^5gg^5s^1qr\gamma$) cf *desentiret* P^2B — 33.2 *aere communi* B+$\mathbf{g}\mathbf{g}^7$: *communi aere* $\mathbf{p}^5\mathbf{s}^2\mathbf{g}^4\mathbf{q}\sigma\mu$ *ex comm. aere* $\mathbf{p}^3\mathbf{p}^6\mathbf{g}^5\mathbf{g}^6\gamma$ *de com. a.* $\mathbf{g}^1$ *a com. ae.* **r** cf *aere* (*communi* ss) P^2+$\mathbf{g}^2$ — J 53.4 *capti sunt* **g** $\mathbf{g}^7$ (cf *sunt c.* $\mathbf{p}^1$) — 61.1 *Jug. niti nisi* **n s** ($pp^1p^3p^5p^6gg^4g^5s^1s^2qr\gamma$; *nisi niti* g^7) — 100.1 *in hiberna it propter* $\mathbf{g}^1$ ($p^1p^3p^5gs^1s^2r\sigma$) : *in hib. it quia pr.* **m** (in aliis ζ *proficiscitur* pro *it*).

d) J 102.4 *cuius sulla fac.* **p** — 112.3 *sillam sibi* P^2 (*sibi* ss B)+$\mathbf{m}^2$ ($p^1p^5p^6g^2g^3g^4g^6s^2qr\gamma$).

e) C 52.4 *persequere* $(p^5g^3g^5g^7r\mu\gamma)$ — J 18.9 *mare Africam* $(pg^6g^7s^2\gamma)$ — 41.4 *asperius acerbiusque fit* $(p^1p^5p^6gg^5g^7s^2qr\gamma)$: *ac. asp. fit* (p^3s^1) — 54.8 *quippe cui* $\mathbf{sg^1}$ (ζ iidem fere) — 79.1 *memorabile* $\mathbf{m^1m^2}$ (g^6r) — 102.2 *de se* $\mathbf{m^1}$ (p).

Si quis haec omnia sigla iterum iterumque occurrentia percensuerit, negare non poterit a Σ pendere non modo omnes Parisinos sed etiam Lipsienses $\mathbf{s^1s^2}$ plurimosque Guelferbytanos — nam $\mathbf{g^2}$ et $\mathbf{g^3}$, id quod exspectandum est, in hoc numero, rarius inueniuntur. Sed inter uetustissimum integrum **n** ceterosque omnes id discriminis est, quod ille, ubicumque P^4 abest, semper fere desideratur; hi autem, $\mathbf{g^1}$ praeeunte, comites sunt quam fidissimi librorum P^2B. Sunt tamen nonnulli loci, ubi **n** aut unus aut sequentibus aliis integris cum B solo congruat:

nB C 5.9 *relinquerint* $(pgg^6g^7s^1\sigma)$ — 61.8 *recognoscerent* (m^2g^2) : *cogn.* — J 35.2 *regebat* $(p^1g^7s^2 r\mu\gamma)$: *gereb.*— 44.1 *imbecillis* (m^2) : *imbellis* — 85.20 *uoluntatem* : *uoluptatem.*

Quod etiamsi praeter expectationem non fit, tamen multo minus admirationem nobis id inicere debet, si P^2B seclusis **n** et P^4 conspirant:

$\mathbf{nP^4}$ b) J 32.4 *in* ante *animos* om (itemque integri praet. **lms** $\mathbf{m^2g^3g^6q}$).

c) J 42.1 *alterum* bis — 76.6 *ibi q u e* $(p^1m^1g^5\gamma)$ — 93.6 *sese ducem itineris periculique* (*que* om **n**) *nihil esse docet* (itemque ζ praeter $\mathbf{m^1g^2g^3}$) : *sese itineris periculique ducem.*

e) C 20.2 *foret* $(m^1p^5p^6g^3g^4h\gamma\mu)$ — J 21.2 *semisonnos* — 31.10 *eas fecere : ea f.* — 85.34 *arcte* $(p^5\gamma)$: *arte* — 94.6 *murum ascendere* (ζ praet. $\mathbf{m^2g^2g^3s^2q}$) : *m. petere* — 96.2 *petere : repetere.*

E quibus locis ante ceteros J 93.6 et 94.6 digni sunt qui animaduertantur. Utroque loco textus genuinus glossemate deprauatus est, cum illic uerba *nihil esse docet* addita sunt, hic glossa *ascendere* uerbum quod explicandum erat *petere* extrusit. Nimirum tota integrorum turba quasi sacramento pietatis obstricti ducem sequuntur.

Tum reminiscaris peto **n** et G passim consentire, quos locos p 50 iam collegi.

Denique commonitum uelim lectionem unicam J 85.29 *triumphales* quam in P^1P^2 pro uaria lectione supra scriptam offendimus, in ipso textu integrorum **npg**^{1} locum habere (cf p 21).

3. Cum ad lectiones Y transgrediar, non opus mihi erit omnes lectiones familiae Γ eiusque partium proprias iterum percensere,

quoniam iam ante passim animaduerti, qui integri uetustissimi ab his mutilis stent. Ut pp 34--35 eas lectiones separatim collocaui quae libris M^2T cum **n** et **m** communes sunt. Id unum addo, praeter hos duos uetustissimos etiam nonnullos recentioris aetatis easdem lectiones participare. In hoc numero — id quod cognatione a me p 77 probata facile efficitur — ante ceteros $\mathbf{m^1}$ et $\mathbf{m^2}$ s. XII referendi sunt, quorum aut uterque aut alter ubique cum duobus illis se coniunxit. Ex integris autem recentissimis imprimis $\mathbf{g^1\,g^2\,s^1}$ μ eandem cognationem prae se ferunt, alii alio loco accedunt. Contra lectiones Γ et **n** et **m** uulgo respuunt (uideas 28 sq.), et lectiones γ′ et γ nusquam in **n**, rarissime in **m**, multo saepius in $\mathbf{m^1m^2g^1\,s^2}$ aliis reperias. Hinc credo me recte conclusisse et M^2T eodem exemplari quo integri **nm** ($\mathbf{m^1\,m^2}$), quod exemplar Δ nominaui, usos et exemplaria Δ et Γ′ simillima fuisse et ex Y originem ducere.

Alterius familiae Z(NKG) lectio peculiaris C 12.1 *erubescere* in uno integro **s** tradita est. Idem liber aliis integris sequentibus iis lectionibus quae sunt in ZΓ imbutus est, ut:

C 15.2 *qui quod ea* **ls** (g^3) — 59.2 *reliquorum* $\mathbf{nmsm^2}$ $(pp^1p^5gg^2g^3g^5r\mu\gamma)$ — J 65.3 *in imperatorem* $\mathbf{sm^1}$ $(g^3g^4s^1h\sigma$, cf *in* ss $\mathbf{mm^2}$) — 89.1 *constituerat* **s** $(g^3q\gamma)$.

Eademque res est in iis locis, ubi N stirpem Y deseruit: hic quoque **s** crebrius adest et $\mathbf{m^1}$ multique recentiores sequuntur. Videas ex. c. lectiones:

K G Γ′ C 26.3 *commemoraui* $\mathbf{m^1}$ $(q\sigma\gamma)$ — 26.5 *petitiones* $\mathbf{sm^1}$ $(p^1p^3p^6s^2g^3g^4g^5g^6g^7q\mu\gamma)$ — J 14.3 *sed ea si* $\mathbf{sg^1}$ $(pp^1s^2g^5r)$ *sed ea desideranda* (*si* ss) $\mathbf{m^1m^2}$ — 42.1 *uendicare* $\mathbf{sm^1}$ $(gg^4g^5g^6q\mu\gamma)$: *uindicare* (e ss) **m** — 76.1 *una die* $\mathbf{nmsm^1m^2}$ (pg^7h) — K G H γ C 13.3 *non famem non sitim* $\mathbf{sm^1}$ $(p^3s^1s^2g^4g^6g^7q\gamma)$ — 25.2 *atque latinis* **s** $(pg^7q\gamma)$ — 39.6 *usui foret bello* **s** (pg^3g^7) — K G J 62.8 *uirisque pecuniaque* **s**. Quamquam sunt loci insignes, ubi Monacenses $\mathbf{mm^1m^2}$ alii, non **s** accessit: C 21.3 *praeterea petere* $\mathbf{mm^1m^2g^1}$ $(g^3g^6g^7q\mu)$ [*praeterea* ss K] — J 97.2 *Boccho* pro *Mauro* $\mathbf{m^1m^2g^1}$ $(pp^1p^3p^5p^6s^1s^2gg^6g^7rh\gamma)$.

At ubicumque G deest, et NK aut soli sunt aut cum Γ tota uel parte quadam eius consentiunt, **s** quoque uulgo desideratur sed **n** praecipueque $\mathbf{mm^1}$ in societatem inierunt. Cuius rei documento sunt lectiones hae:

N K Γ′ C 58.2 *cuique* **m** $(p^3g^7\sigma)$ — J 13,1 *diuulgabatur* **m** (*ba* ss) $\mathbf{m^1g^1}$ (pgg^2g^3rh) — 64.5 *facto aliquo* $\mathbf{mm^1m^2}$ (s^2) — N K Γ C 47.3 *haberentur* $\mathbf{nmg^1}$ $(p^3p^5p^6s^2g^2\gamma\sigma)$ — 55.1 *in sententiam Catonis* $\mathbf{nmm^2g^1}$

(p^{1}p^{6}g^{2}h$\sigma\gamma$) — N K M^2 T C 10.5 *et ambitio* **nmm^{1}m^{2}g^1** (p^{1}p^{3}g$^3\mu$) — 33.1 *neque quod* **mm^2** (g^2) — N K C 30.5 *permissum est* **nsg^1** (pp^{1}p^{3}s^{1}s^{2}g^{3}g^{4}qhrγ) — 56.4 *in Galliam* **nmsm^2** (s^{1}s^{2}g^{3}g^7) — J 38.5 *alii* semel **mm^2** (pp^{3}s^{1}s^{2}gg^{3}g^{6}g^{7}h$\sigma\gamma$) — 55.4 *eo magis animus anxius* **mm^1** (*animosior* nullus integer) — 71.3 *erat* (*ei* ss) **m**.

Et si lectiones intuebimur, quae in uno libro familiae Z et in Γ′ uel parte eius quadam simul inueniuntur, eandem cognationem quam nunc cognouimus iterum reperiemus. Ut cum NΓ et KΓ integri **nmm^{1}m^{2}g^3** constanter, alii rarius, nusquam fere **s** se consociarunt, sed menda congregationis GΓ **s**, quamquam passim abest, non omnino respuit. Neque minus saepe quam **s** alii integri, quorum in numero sunt **nmm^{1}m^2**, hanc cognationem prae se ferunt. Lectiones maxime memorabiles has adfero:

N Γ′ J 23.1 *erigere* **nmm^{1}m^2** (pp^{1}p^{3}p^{5}s^{1}gg^{3}g^{4}g^{5}g^{6}g^{7}q r$\sigma\mu\gamma$) — 53.7 *apud alterum* **mm^2** (g^3) — 54.9 *consilium exercitum capit* **mm^2** (g^3) — 56.5 *agunt* **nmm^{1}m^{2}g^1** (s^{2}g^3) — NΓ C 52.26 *etiam* om **nmm^2** (s^{1}g^{2}g^{3}hr)

KΓ C 60.2 *res agitur* **nmm^{1}m^2** (s^{2}g^{3}ghμ) — K M^2 T J 50.5 *turba* **mm^2** (pp^{6}g$^4\gamma$) *turbam* DM^1+(s^{2}g^6) — C 53.4 *superasset* **n** (p^{6}g^3)

GΓ′ J 51.1 *hostes* (*atque* om) *ciues* **m^2** (p) ss **mm^1** — 84.3 *negare* **nmsm^{2}g^1** (p^{1}s^{2}rγ) — 93.8 *quinque numero* **nmsm^{1}m^2** (pp^{1}p^{3}p^{6}s^{1}s^{2}g^{3}g^{4}g^{5}grγ) — 95.4 *pudet magis an piget* **nmsm^{1}m^{2}g^1** (iidem ζ) — 97.2 *tertiam partem* **nm^{1}m^{2}g^1** (iidem fere ζ) — 98.4 *dispersos milites paulatim* **nm^{1}m^2** (iidem fere ζ) *milites* om **m** — 100.4 *in munimentis super uallum* **nm^{2}g^1** (iidem ζ), *in mum.* om **g^2** — 101.8 *Mauris ab latere* **n**(**m^1**)**g^1** (ζ), cf *ab latere incurrit Mauros* **l** (item *Mauros* G+**m^{1}g^{2}g^{3}g^6**qμ). — Addo C 55.5 *per indices* **m^{1}g^1** (g^{2}g^3), *per uindices* **s^1** : *indices* **nls** (BP^{4}N) *et indices* **mm^2** (PK).

Quid ex hac integrorum cum mutilis comparatione concludatur ad originem integrorum statuendam, nulla credo dissensio esse debet. Videmus nonnullos integros cum una prosapia mutilorum quam maxime consentire, alios ad aliam prosapiam se adplicare, ut mutilos integrosque eosdem fontes sapere negari nequeat. In ea quoque re integris cum mutilis similitudo est, quod plerique eorum e duobus uel pluribus exemplaribus lectiones conquisierunt, atque quo maior est aetas integri, eo clarius origo eius perspicitur. Ita unde **lnms** oriundi sint certe iudicari licet: **l** $<$ Π (et P simillimus est), **n** $<$ Σ et Δ, **m** $<$ Δ et Π (P^{1}NK), **s** $<$ Z (KG) et X. Neque in medio relinquimur, ubi **m^{1}m^2** alii collocandi sunt. Sed in recentioribus integris res multo plus intricata est, quoniam in hos lectiones per saecula undique confluxerunt, ut origo eorum omnino fere obscuraretur.

Tum ex his quae adhuc disputaui duae res consequi mihi uidentur. Primum ea cognatio integrorum quam inuestigauimus ad eam partem Iugurthae, quae in mutilis deest, non potest referri; quare necessarium est, qualis sit in his capitibus cognatio librorum, separatim cognoscere. Deinde in maxima parte Sallusti mutilorum integrorumque communi recensenda non opus est omnes lectiones omnium integrorum, siue cum mutilis consentiunt siue non, adferre. Paucos integros eligamus necesse est. Qui sint eligendi, post ea quae nunc disserui in aperto est. Apparet eos praeferendos esse, quibus ad textum stabiliendum quam maxime adiuuemur. Ergo recentiores neglegendi sunt, quippe qui confusione familiarum uix penetranda compositi sint, recipendi uetustiores, qui diuisionem quam fecimus mutilorum quodam modo tueantur. Ut enim testimonia eorum non minoris aestimanda sunt quam cuiusuis mutilorum coaeuorum, ita ab apparatu critico abesse non debent. Itaque integros **lmns** mutilis adiciam.

3. Proximum est, ut de his codicibus quos elegi pauca adnotem, quae aut non commemoraui aut obiter modo tetigi.

Quoniam nunc uidimus **lnms** e patribus natos esse, quorum bini ab eodem auo orti sint, efficitur, ut non modo bini ternique consentiant sed etiam omnes in unum interdum conueniant. Quamquam libri saepissime ita cohaerent, ut **ls** contra **nm** faciant, tamen **n**, qui partim ex eodem fonte quo **l** deducitur, multas cum hoc libro exhibet similitudines, et affinitas patrum **m** et **s** suas similitudines elicuit. Neque desunt lectiones **n** et **s**, **l** et **m** communes. Et 50:ies fere omnes quattuor iisdem lectionibus imbuti sunt. At ne longus sim in lectionibus enumerandis, haec uaria genera similitudinum omittam. Paucas lectiones **nm** proprias colligam, quas in mutilis non repperi:

	Integri **nm**.	Reliqui
C 19.5	*derelinquemus*	*relinque(i)mus*
35.5	*plurima* **m** *plur*(a)||| **n**	*plura*
52.33	*alterum iam*	*iterum* **ls** (PBKG) *iterum iam*
J 4.7	*qui non* **n** *qui non in* **m** (*qui in quin* **l**, an *qui non* ?)	

6.1 *de se ipse* — *ipse de se*
J 43.1 *aduersus* (cf *aduersos* P[1]) — *aduerso*

Quas lectiones intimam affinitatem librorum **n m** et **l s** cuius mentionem feci pro sua parte testari uix est quod moneam. Aliud huius propinquitatis indicium est glossema quod in ipsum textum **l s** (g²q) J 39.2 irrepsit, quo loco post uerbum *consulebat* hoc totum enuntiatum additum est: *utrum foedus quod pepigerat cum Iugurtha firmum sicque* (*et sic* **s**) *factum perdurare debuisset* (*perduraret* **s**) *necne*. Prorsus eadem uerba quae in **s** extant in mutilis G et H supra scripta inueniuntur, et in K alia manus in mg. adscripsit quae cum **l** magis conueniant: *u. f. q. p. c. I. debuisset esse et sic factum perdurare necne*. Et similia in **m** addita sunt in mg.: *u. f. q. fr̄ p. c. I. firmum et sic perdurare debuisset nec n̄.*

Ut omnes mutili, ita hi integri suis quisque mendis laborant. Neque ea re sententia nostra debilitatur sumentium integros indidem atque mutilos oriundos esse, cum praesertim, quantum equidem uideo, nullis harum lectionum peculiarium alia recensio necessario indicetur. Quamquam non negauerim et hanc et illam lectionem in ipsis exemplaribus integris locum habuisse. Ut uulgaria menda omittam quae e litteratura pendent, uoces omittebantur, id quod in **l** uulgo fit, aut transponebantur, cui culpae **n** et **m** praecipue indulgent, aut denique in omnibus passim addebantur, quas a principio glossas explicatiuas fuisse nemo non uidet. Huius generis exempla eximia proferre aptum iudico:

in **l**: C 37.2 *id ad confirmatiuum hic eo* (uoces addi-tas glossema esse commentatoris quo explicetur aduerbium *adeo* confirmatiua ui h. l. indutam esse sole clarius est) — 51.24 *sin autem quia* — J 4.3 *fore aliquos qui* — 4.8 *non pertaliter inde ut* (*taliter* nimirum idem est atque *t* (= *uel*) *aliter*, quae glossa in exemplari codicis **l** superscripta fuit, ut aduerbium *perinde* explicaret) — 41.5 *coepere nobilitas dignitatem in dominationem populus libertatem in libidinem uertere* (*in dominationem* commentator, qui non intellegeret *in libidinem* ἀπὸ κοινοῦ adhibitum, addidit ut haec uerba *in libidinem* alterius κόμματος responderent).

in **n**: C 11.2 *ille bonus* (cf *bonus* ss M²) — 11.4 *de bonis* — 17.1 *hortari alios alios temptare alios opes* — 21.4 *alium causa egestatis* — 58.13 *potuistis enim* — J 9.2 *p. r. sit carus* — 14.24 *sed utinam* — 25.5 *ab senatu dicentes missos* — 42.1 *opera eadem ingredientem* — 43.3 *commeatuum affatim parabat* (praecedit inf. hist. *parare*; cf **m** qui idem *parabat* supra *solent* adscripsit) — 44.1 *patiens erat* — 58.5 *misit ac statim G. Marium cum cohortibus sociorum suorum misit eumque* — 70.5 *Iugurthae dicens exitium* (cf supra J 25.5) — 91.2 *iumenta iubet onerare* (ex enuntiato antecedenti repetitum) — 97.4 *priusquam* — — *sarcinas colligere quiuit, denique antequam signum* — — *accipere queunt* (pro *quiuit*).

in **m**: J 10.2 *ut alia magna et egregia tua facinora omittam* (cf **s**, ubi *facinora* ss) — 24.10 *aerumnas meas* — 30.1 *probarentne tantum flagitium patres solliciti erant an* (uerba enuntiati antecedentis perspicuitatis causa iterata).

in **s**: J 62.8 *Tisidium castrum* — Cf etiam J 39.2 glossema magnum p 82 adlatum.

Accedunt in **m** loci, ubi glossae genuinas lectiones extruserint: J 13.1 *sed Jugurtham*: *sed illum alterum* — 79.10 *ad inceptum*: *ad rem* — 97.5 *contra hostes*: *c. aduersos* — 98.1 *manu significare*: *m. consulere* — 98.3 *consilium capit*: *c. trahit*. — At sic J 53.3 *fugam statuunt* (pro *f. faciunt*) explicari non potest, cum locutio uulgaris in magis insolitam sit mutata; quare pronus sum hanc permutationem uerborum neglegentiae librarii litteras exemplaris sui perperam legentis tribuere.

4. Supplementi loco de duobus integris s. XII pauca uerba faciam, quos libros a ceteris eiusdem classis separaui, propterea quod non plena collatio sed lectionum collectio dispersa mihi praesto est. Cumque aetate plerosque integros praestent, eos omnino neglegere uolui, idque eo minus quod exempla sunt praeclarissima confusionis lectionum et textus uehementer uitiati, quo integri iam iis temporibus adfecti sunt.

Prior est Palatinus 883 (π signatus), quem Jordan, Wirz, Maurenbrecher in extrema parte Iug. recensenda adhibuerunt. Ipse capita 1—20 orationesque Catilinae, praeterea paucos locos dispersos contuli.

Ut integri quos iam tractaui, ita π non ab una familia pendet. Immo uero ex omnibus fere quas nouerimus familiis lectiones uidetur collegisse. X lectionem unicam C 25.2 *psallere et cantare* non minus quam lectionem in Pl traditam C 51.5 *atque aduersa* exhibet. Minima uero est similitudo librorum P¹N, ut lectiones his duobus propriae omnino fere desint. Tanto crebrius lectiones Σ, Z (KG), H, M²T, γ in eo reperiuntur.

Σ prosapiam tales lectiones redolent quales sunt: C 3.3 *a studio* BP^4 5.7 *reliquerint et ut* P^2B — 10.1 *otium diuitiaeque* P^2B — 23.4 *quae et quomodo* Σ — 25.3 *libidine* P^1ΣG. Addas quod singulis locis cum P^4 et **n** ita facit, ut aut in π eadem atque in his legantur aut menda libri π ad contaminationem ab illis alteroque exemplari factam reuocentur. Videas ex. c. C 4.1 *colendo agrum* π *col. agro* P^4: *agrum col.* — 11.7 *nedum* π Hn — 15.3 *causa facinoris maturandi* (*fuisse* om) π *causa fac. fuisse mat.* **n** : *causa fuisse fac. mat.* — 20.3 *esse* ante *intellexi* om π Tn, ss P^4 — 20.16 *a uobis* om π *aberit a uobis* P^4: *a uob. ab.* — 31.7 *postulare a patribus coepit* π P^4 — 51.43 *postea* om π *postea de his* P^4: *de his p.*

E lectionibus cum KGH consentientibus has adfero: C 1.2 *nostra uis omnis* πH *omnis n. uis* P^4F: *n. o. u.* — 7.3 *quam facile* (*breui* ss) π *quam breui* H: *quantum br.* — 10.5 *promptum in lingua* πG — 14.1 *flagitiosorum atque facinorosorum* πKGH (item plerique integri) — 20.6 *uendicemus* π *uendicamus* GHs — 20.8 *miseram uitam* πK — 20.17 *magis* ss π *magis seruire* HF: *sem. m.* — 30.3 *publicam causam miserorum* πH — 35.1 *L. Catilina Q. Catulo salutem* π KGH — 51.36 *cui exercitus idem* π *c. idem ex.* H: *cui item ex.*

Tum uoces in M^2T simul cum **s** additas C 51.24 *leuius est* q u o d i u d i c a s t i π quoque recepit et in eo similiter atque in M^2TM^1 *condicionem* pro *dicionem* perperam traditum est, sed maximam multitudinem lectionum quas **nm** cum M^2T communes habent aspernatus est. At π cum T propinquitate quadam uinciri hi loci demonstrant: C 6.4 *esse auxilio* π *auxilio* ss T: *aux. esse* — 8.2 *uerum* (*tamen* ss) *aliquanto minore* π *uerum aliq. tamen min.* T: *u. aliq. min. tamen* — 11.5 *liberaliter* (*que* om) πT — 11.5 *feroces animos militum* π *militum* om T: *fer. mil. an.*

Denique cum γ atque adeo cum MF permultis locis congruit, uelut in C 1.1 *transigant* πM — 9.2 *deorum* om πγ — 12.1 *sequebantur* π Fn — 13.3 *non frigus* ss π *neque frigus* om F — 13.5 *libidinibus haud facile carebat* π *haud fac. car. lib.* MF: *h. f. lib. car.* — 30.6 *praemia decreuit seruo* π *praemia decreuerunt s.* F: *praemium decreuerunt s.* Γ.

Ceterum π, qui glossis et inter uersus et in mg. scriptis abundat, etiam plus quam ii integri quos tractaui lacunarum copia maxima, immoderata licentia uocum transpositarum excellit. In uiginti illis capitibus a me collatis non minus quam 12 lacunas adnotaui, in quo numero C 1.3, ubi π inf. *esse* recte omisit, non collocaui.[1] Neque

multo pauciores sunt uoces ad sensum explicandum uel partes orationis conectendas additae, ut: C 1.2 *animi* u i *imperio* (*ui* glossa uocem *imperium* explicans) — 3.1 *uel* i n *pace uel* i n *bello* — 4.2 *spe* e t *metu* — 7.5 *formidolosus* e r a t — 16.2 a d *maiora alia imperabat* — 16.4 *aes alienum* a d p e r s o l u e n d u m — 20.3 *aut* p e r *uana* — 51.14 *minime irasci decet.* n a m e a *quae.*

Lectiones nunc adlatae satis superque documento sunt, quale sit ingenium huius integri. Frustra ibi quaeras lectiones pretiosas et quibus fructum aliquem capias in textu emendando. Nam quod Wirz[1] dicit ad textum Sallustianum restituendum a π nos minimum adiuuari, id non magis in extrema parte Iug. quam in omni Sallustio ualet.

De hoc integro π inter Iordanum et Wirzium dissensio quaedam est: Jordan π eundem esse atque P a l a t i n u m 3 Gruteri opinatus est, Wirz autem hanc opinionem falsam esse iudicauit.[2] Est res per se quidem minima, sed quoniam — quantum scio — adhuc sub iudice lis est et materiam mihi praesto esse existimo, ut iudex existam dissensionis, non alienum mihi uidetur de hac re hic pauca addere.

Quae Iordan et Wirz ad suam quisque opinionem confirmandam protraxerunt, ea infirmiora sunt quam quibus certi quidquam comprobetur. Ille lectione C 13.1 *contracta* nititur, quae lectio a Grutero Pal. 3 uindicata in π inuenitur; hic paucis locis extremae partis Iug. inspectis testimonia Pal. 3 Gruteri et π Iordani tantum dissidere censet, ut de eodem libro cogitari nequeat. Quod si haec ab his doctis uiris congesta respicio, sententiam Iordani argumento ualidiore niti uix negauerim. Namque lectiones, quas Wirz in examen uocauit, omnes una excepta nobis ansam non praebent in hac re certe iudicandi, propterea quod in iis Gruter de codicibus Palatinis uniuersis, non de Pal. 3 loquitur. Id igitur quaeritur, maioremne uim probandi dissimilitudo J 104.1, ubi teste Grutero in Pal. 3 *cui*, in π *quo* auctore Iordano traditum est, an consensus utriusque codicis C 13.1 *contracta* habeat. Equidem non dubito similitudinem lectionis quae unica sit pluris aestimare. Et paucas alias lectiones testes producam, quae me iudice omnes scrupulos euellere debent:

C 5.4 »Pal. tertius solum seruabat *cuiuslibet*« Gruter: *cuiuslibet* π.

C 35.3 »*cum et alienis* — —] sic quidem editio prisca et Pal.

---

1 Lacuna Iug. p 1.

2 Vide Hermes 33 p 189.

quart. oct. non.; sed praeter auctoritatem membranorum uetustiorum Naz. enim: *sed et alienis* — —, Pal. uero sec. et und. duod. *et cum alienis nominibus*, tertius *et alienis* sine illo *cum*» Gruter: *et alienis* π.

C 51.22 »*at aliae leges item condemnatis ciuibus non animam eripi sed exsilium permitti iubent*]: liber ille Polonicus *sed in exilium permitti iubent*, quomodo etiam Pal. quart. sext., nam tert. et nonus exhibent: hic quidem — — —, ille uero: *at aliae leges in condemnatis ciuibus non animam eripi sed in exitium mitti iubent*» Gruter: eadem extant in π praeterquam quod *exilium*, non *exitium* adnotaui (*exitium* Gruteri errorem typothetae esse credo).

C 51.37 »*neque consilii neque audaciae unquam eguere*] — — — uox *nunquam* abest Pal. tert.» Gruter: *neque consilii neque audaciae eguere* π.

Neque iniuria credo haec testimonia augeri posse his lectionibus:

C 14.7 »*quam quod cuiquam id compertum foret*] Naz. subductum habet linea uocem *quod*, et uero non agnoscunt etiam libri, quos contulit Bongarsius, non Commelinianus meus, non Pal. tert. quart. sext. oct. non. dec. undec. duodec.» Gruter : *quam cuiquam id* cet. π.

C 26.5 »*neque insidias quas consulibus in campo fecerat*] — — seruatur Pal. Naz. sec. tert. et Com. meo» Gruter: *neque insidias* cet. π.

C 35.3 »*non quin aes alienum meis nominibus ex*] ita editio Aldi Romani; neque aliter Pal. quintus, nam tert. et duodecimus *non quin aes alienum meis nominibus sumptum ex*» Gruter: item π.

J 104.1 »*itemque L. Bellienum*[1] *praetorem Utica*] sic Pal. sec., nam tert. quint. sext. ea uoce [scil. *Utica*] destituuntur» Gruter: *Utica* deest in π Maurenbrechero teste.[2]

Atque eidem opinioni fauet

C 9.4 »*quod in bello saepius uindicatum est in eos*] ita mss. tredecim nisi quod abest Pal. tert. *in bello*» Gruter: *in bello* ss π (Gruter hic ut alibi uoces supra scriptas neglexit).

Haec exempla consideranti mihi dubium non uidetur, quin Pal. 3 Gruteri idem atque Pal. 883 (π) habendus sit.

Alter codex est monasterii Benedictinorum sancti Pauli in regione Kaernten siti. Hunc librum saec. XII pictum Scheindler[1] descripsit lectionumque tantam copiam publici iuris fecit, ut eum deterrimum esse omnium integrorum, quos quidem nouerimus, facile dicamus. Inspicedum indicem, quem idem Scheindler[2] fecit, mendorum quae in Cat. insunt. Voces 85:ies additae sunt neque minus quam 41:ies in hoc uno, omissae sunt uoces locis 53, quarum lacunarum 28 in nullo alio libro inueniuntur, uerba transposita simul cum aliis libris 78:ies, in hoc uno 69:ies traduntur. Accedunt lectiones a uulgari textu alio modo abhorrentes 250, e quibus 90 nullum alium librum decorant. Habemus igitur codicem eumque s. XII scriptum, qui textum nobis praebet non Sallusti sed commentatoris suo arbitrio omnia corrigentis uel potius deprauantis. Iure sane Scheindler ipse dicit maxima cautione hunc librum adhibendum, at cum idem addit adhibendum tamen esse, nulla credo excusatione nobis opus est hoc consilium non sequentibus.

5. Antequam codices integros relinquam, de alia re quae ad originem eorum pertineat diligentius disseram.

Dietsch in praef. p 2 ad haec duo genera codicum, quos mutilos et integros uocamus, tertium addidit, cui eos integros adtribuit qui J 44.5 uerba *muniebantur (ea) neque*, in omnibus mutilis et in plurimis integris omissa, exhibeant. Nunc uero quaeritur, unde haec uerba, quae genuinum textum Sallusti reddant, in hos integros uenisse existimemus. Tribus modis hic textus recte seruatus potest explicari: hi integri aut t o t i nouam recensionem prae se ferunt, aut eidem contaminationi exemplarium mutilorum integrorumque sunt obnoxii qua integros in uniuersum imbutos esse nunc est demonstratum, qua tamen contaminatione apparet effectum esse ut integri alius ab alio multum possent distare, aut denique haec uerba extrinsecus, i. e. e testimonio quodam scriptoris antiqui receperunt.

Et haec eadem dubitatio non minus quam ad J 44.5 ad tres alios locos spectat: C 5.9; 6.2; J 1.5; quibus locis similem in modum mutili maiorque pars integrorum lacuna non toleranda laborant.

Hos igitur locos simul in examen uocabo, et primum apparatum criticum uniuscuiusque loci ante oculos ponam (uerba omissa litteris diductis scripsi).

a. C 5.9 ut paulatim immutata ex pulcherrima a t q u e o p t i m a pessima ac flagitiosissima facta sit.

Adnot. crit. ex pulcherrima atque optima **p³p⁶g¹** ex pulcerrima

[1] Gruter in hac nota *Bellionum* per lapsum calami scripsit; an error est typothetae? In ipso textu huius loci *Bellienum* legitur.

[2] Sallustiana p 31 n. 85.

[1] Wiener Eranos (1909) pp 200—212.

[2] Ibd. p 204 sqq.

et optima $\mathbf{p}^5\mathbf{g}^6\gamma$ ex pulcherrima et ex optima; $\mathbf{s}^1$r ex optima atque pulcherrima $\mathbf{s}^2$ pessima ex pulcherrima optima ac flagitiosissima $\mathbf{g}^6$ optima *in mg* $\mathbf{g}^7$. *(Cf Dietsch ad h. l.)*. — atque optima *Augustinus de ciu. Dei* II 18 porro si illa tempora talia reperiuntur, quibus pulcherrima adque optima fuisse praedicatur Romana res publica, quid iam de consequente aetate dicendum aut cogitandum arbitramur, cum paulatim mutata, ut eiusdem historici uerbis utar, ex pulcherrima adque optima pessima ac flagitiosissima facta est. *itemque ibd.* II 19 ecce Romana res publica (quod non ego primus dico, sed auctores eorum, unde haec mercede didicimus, tanto ante dixerunt ante Christi adventum) paulatim mutata ex pulcherrima adque optima pessima adque flagitiosissima facta est.

b. C 6.2 incredibile memoratu est quam facile coaluerint: ita breui multitudo dispersa atque uaga concordia ciuitas facta erat.

Adnot. crit. ita breui — — facta erat *cod. uetust. Popmae, Vinar. 2 Corti, Leidensis 63, cod. Herbipolitanus, 5 codd. Parisini recent., duo Palatini; manu secunda adscripta extant in Paras. 5752 s. XIII (in mg manu saec. XV) et in Ambros. O 32.* — ita breui — facta est *Leidensis G et Papyrus Oxyrhynchus Grenfell-Hunt VI 884.* — *Accedit tsetimonium Augustini Ep. 138.*10 quid est autem ciuitas, nisi multitudo hominum in quoddam uinculum redacta concordiae? Apud eos (scil. scriptores gentiles) enim ita legitur: breui multitudo dispersa adque uaga concordia ciuitas facta erat. *(Cf app. crit. Dietschi, adnotationes Wirzi Herm. 33 p 117 sq. et meas Eran. 9 p 23 sq.)*

c. J 1.5 quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa ac perniciosa petunt.

Adnot. crit. periculosa petunt *omn. codd. praeter Guelferbyt. Gud. 272 s. XV (γ apud Dietschium) qui* etiam perniciosa petunt *exhibet.* — *Augustinus Ep. 153.*22 neque apud ipsos qui magno studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa ac perniciosa petunt.

d. J 44.5 sed neque *muniebantur (ea) neque* more militari uigiliae deducebantur.

Adnot. crit. neque muniebantur ea neque *Paris. 6087 s. XII. XIV (= 'antiquissimus' Popmae)* neque minuebantur ea neque *Leidensis 63 (1 Dietschi) s. XV et in mg. 1 manus Harlei. 2460 s. Guelferb. Gud. 272 s. XV, 5 Parasini s. XV*, neque minuebantur neque *inter lineas Palat. 862 ad quos accedit Paris. 6088 s. XIII (= p*[6] *Dietschi), cuius in mg. haec sunt adpicta:* 'non solum hoc erat quod Albinus habebat eos statiuis castris sed etiam nec minuebant (sic!), scilicet per hoc denotat stulticiam Albini', *tum* neque ea (*om* muniebantur) neque *2 Ambrosiani s. XIV—XV* (Cf Wirz Herm. 33 p 112—114). — neque muniebantur (*om* ea) neque *apud Frontonem* (*ed Naber p 109*), *ubi* J 44.4 — 45.1 nam Albinus — — saeuitiam *tradita sunt.*

His quattuor locis id est commune, quod aliquot uerba in omnium plurimis codicibus omissa in paucis integris extant et in scriptore quodam antiquo hos locos Sallusti adferenti leguntur. Neque dubium est, quin textus plenior uel uberior uere sit Sallustianus. Nam si Dietsch praeeunte Gerlachio totam sententiam C 6.2 spuriam iudicans e textu seclusit, quod crederet testimonium Augustini huc non spectare, opinio eius auctoritate papyri nouissime reperti refellitur.

Id igitur pro certo habendum est in eo exemplari e quo Ω transscriptus est haec uerba defuisse, siue putamus ea in hoc exemplari siue in uetustiore excidisse. Et apparet in C 5.9; J 1.5; 44.5 lacunas haplographiae deberi, cuius mendi simile exemplum Hauler[1] archetypo librorum Sall. nuper uindicauit, cum e palimpsesto Frontonis J 45.2 hunc textum eruit: *ne miles hastatus aut gregarius in castris neue in agmine seruum aut iumentum haberet*, quo loco ipsa oratio bimembris non minus quam in C 5.9 hanc esse scripturam genuinam clare testatur. Quod ad C 6.2 attinet, eandem lacunae causam probare ego conatus sum[2] existimans in archetypo eo, unde libri Sall. pendent, totam sententiam *ita breui* cet. excidisse, propterea quod in litteratura capitali uel unciali fines sententiarum *(coalu)erint* ∼ *(facta)erat* specie essent simillimi. Opinor igitur archetypum illum antiquissimum plqpf. *facta erat*, quod tempus etiam apud Augustinum legimus, non pf. papyri *facta est* habuisse.

[1] Rhein. Mus. 54 p 168.
[2] Eranos 9 p 26 sq.

Sed hanc rem omittamus, et eo unde egressi sumus reuertamur, quaerentes qua ratione has lacunas expletas esse arbitremur. C 5.9 omnes credo doctos uiros consentire sumentes uerba quae perierunt *atque optima* ex Augustino in integros illos irrepsisse. Namque et ii codices Sall., in quibus haec uerba inueniantur, omnes recentioris sunt aetatis — nullus autem in tempus saeculo XIV antiquius recedit — et ea sententia cuius haec duo uerba sunt tota ab Augustino adfertur, ut hunc locum Augustini legentibus nulla esse possit difficultas textum Sallusti mutilatum recte supplendi.

At in C 6.2 haec altera condicio deest. Etiamsi librarii, propterea quod Augustinus in huius epistulae §§ 9—10 alteram sententiam a Sallustio sumptam (C 9.5) paulo ante exscripsit, deduci poterant ut putarent etiam hunc locum apud Sallustium legi, tamen, cum haec sententia sola extet nullis uerbis aut antecedentibus aut subsequentibus adlatis, non intellego qui fieri potuerit, ut librarii uerba Sallusti suo loco recte collocarent. Et cum uix liceat suspicari eos singulari quadam diuinatione hoc fecisse, equidem Wirzio[1] et Maurenbrechero[2] nequeo adsentiri dicentibus hanc sententiam recte suppletam ad testimonium Augustini esse reuocandam; nisi forte putamus aliud testimonium nobis ignotum librariis cognitum fuisse. Quocirca nullam aliam uiam huius rei explicandae reperio nisi quod librariis saec. XIII—XV liber uel libri quidam praesto fuerunt, qui totam sententiam seruarint.

Hac ipsa uia Maurenbrecher[3] existimat J 44.5 *muniebantur neque* in libris quisbusdam addita esse explicanda. Ad quam opinionem ea imprimis causa se commotum dicit, quod haec uerba non solum in integris nouissimae aetatis uerum etiam in ipso textu unius libri s. XII et in margine alterius libri s. XIII inueniantur. Neque ego hanc sententiam repugnabo, praesertim cum credibile mihi non uideatur Frontonem fuisse auctorem loci recte suppleti. At si alius scriptor, quem homines illorum temporum summo studio uersare consuerant, siue Augustinus siue Priscianus siue Seruius, haec uerba tradidisset, non dubitassem lacunam expletam eorum testimonio uindicare. Etenim nonnullas lectiones codicum uel antiquissimorum tali fonti debere in parte II, ubi de testimoniis pauca agam, demonstrabo.

---

1 Loco quem supra dixi.

2 Jahresbericht p 196.

3 Ibidem.

Denique J 1.5 similitudo, quae est inter Augustinum et unum integrum s. XV (γ Dietschi), procul dubio inde pendet, quod librarius huius codicis siue mauis exemplaris ex quo hic γ descriptus est pro adiectiuo in Ω tradito *periculosa* auctore Augustino *perniciosa* substituit.

Itaque si credibile est duobus locis, C 5.9 et J 1.5, librarios uel commentatores quosdam textum codicum secundum testimonia Augustini correxisse, duobus reliquis locis C 6.2 et J 44.5, textus plenior non a testimoniis scriptorum sed aliunde est petendus. Necesse igitur est his quidem locis uerba quae in plurimis libris desunt in uno saltem exemplari extitisse et inde in paucos integros recentiores transmigrasse. Quae opinio quodammodo confirmatur minima ea discrepantia lectionum, quae J 44.5 est inter Frontonem et integrum antiquissimum, Parisinum 6087: *ea* pron., quod est in Parisino post *muniebantur* additum, apud Frontonem abest. Quamquam licet cogitari hoc pron., cum etiam in nonnullis integris recentioribus desit, in ipso archetypo horum integrorum superscriptum fuisse.

Quod si recte disputauimus, ad quaestionem illam reicimur, utrum existimemus hos integros nouam recensionem ab Ω omnino discrepantem reddere an in iis eodem modo quo in integris iam cognitis passim tantum latere lectiones ex alio exemplari oriundas, quod Ω bonitate hic illic superarit.

Ut huic quaestioni satisfacerem, codicem ex iis integris de quibus agitur antiquissimum, Paras. 6087 s. XII, partim sum perscrutatus. Simulque hac collatione id spectaui, ut adipiscerer testem grauissimum qui meam de uniuersa origine integrorum sententiam aut confirmaret aut irritam redderet. Si enim in ullo, in hoc libro expectandum est, ut lectiones sui iuris sint. Quare si eae lectiones, quas stirpi uel alicui parti codicum mutilorum proprias esse cognouimus, in hoc quoque libro reperientur, talis consensus meae sententiae quam maxime indulgebit. Et summo cum gaudio uideo ex 36 primis capitibus Catilinae, quae photographicae artis adiumento depingenda curaui, clare et dilucide euadere hunc integrum non minus quam eos quos antea commemoraui certis notis stirpis et partis mutilorum insigniri.

In Parisino 6087 hae lectiones inueniuntur:

a. cum Y et Γ aut tota aut maiore eius parte communes:

2.8 *eorum ergo* Γ' — 3.2 *dictum putant* $M^{2}\gamma$ — *facilia facto* $P^{1}P^{4}\Gamma$ m

— 5.4 *cuius libet rei* ΣKGΓ′ (-T) n — 7.6 *sic se quisque* ΣΓ* (-D) n — 10.1 *romani imperii* Γ — 10.2 *tolerauerunt* Γ — 11.3 *malis* om Par. + M^{2}γ — 11.7 *obtemperarent* P^{4}GΓ′ — 14.2 *impudicus adulter ganeo manu uentre pene* Ysnm — 14.5 *molles* (*et* om) *aetate fluxi* Par. *molles et aet. fl.* Σ H *moll. aet. et fl.* Ysnm — 15.1 *pridem* Γ — 15.2 *qui quod ea* NKGγ′ls — 15.4 *potuit* Γ — 17.7 *et cuiusuis opes* γ′ — 19.4 *dicunt* P^{4}Yls — 21.3 *hominem* (*et* om) *familiarem* M^{2}γ — 23.6 *quae quomodo* PGγ′l — 25.5 *facetiae sales* Γ — 26.2 *commemoraui* KGΓ′ — 26.5 *uenit ac* Γ′ — *petitiones* Y (-N) s — 27.1 *multas simultates moliri* GM^{2}TM (*simult.* om D) — 30.6 *indicasset* γ′l — *praemium decreuere seruo* Γs — *et s. c.* om KM^{2}TMF — *et sestertiorum ducenta milia* Γ m — 31.9 *exstinguam* BΓ′nm — 32.1 *praeuenire antecapere* Γ′ (-T) — *antecapere ea quae* Y s — 33.1 *patria* V+Ynm — 35.1 *L. Catilina salutem Q. Catulo* NΓm — 35.2 *soluere* (*non* om) *possem* P^{1}Γm.

b. ei parti stirpis Γ quam γ [=DMF(M^{1})] notaui peculiares:

9.2 *deorum* ss Par.+DF om M — 12.3 *reliquerunt* — 13.3 *cupido somni* — *non sitim* KGHγ — 15.4 *uexabat* — 23.2 *ipsa* KGHγ — 25.2 *graecis atque latinis* KGHγ s — 26.4 *clientum* KGHγ — 31.5 *et ut sui* NKGγ — 31.8 *strepere* Gγ — 36.2 *ante quam lice-*

ere

ret ab armis discedans (Par., *discedere* γ)*sine fraude.*

c. cum MF consentientes:

1.4 *fluxa et fragilis* — 4.2 *mala ambitio* TMF — 5.4 *parum sapientiae* GHMFm — 7.6 *putabant* pro *uolebant* — 8.5 *beneficia* — 9.4 *bello excesserant* — 11.4 *facinora in ciues facere* — 11.5 *uoluptuaria* — 12.2 *luxuria auariciaque* Par. *luxuria auaritia* MF — 12.3 *aedificatas* P^{4}MF — 13.5 *carebat libidinibus* — 16.1 *sed ut iuuentutem quam supra diximus* — 17.5 *huiusce consilii* — 18.1 *pauci coniurauere* — 19.4 *superba* (*crudelia* om) Par., cf *crudelia sup.* MF — 20.1 *mihi cecidisset* — 20.11 *potest tollerare* — 20.12 *pecuniam* om — 20.17 *animus me fallit* — 23.6 *nouus homo* P^{4}MF — 29.1 *ne quid detrimenti r. p.* — 33.5 *quonam modo* (*maxime* om) *ulti* Par.+F *q. m. ulti max.* M — 35.1 *in meis magnis.*

Nonnumquam M deest ut in:

6.1 *incertis sedibus* P^{4}F — 15.2 *illi nubere* — 22.2 *fieri solet* HFm — 24.1 *M. Tullius* (*et* om) *G. Antonius.*

d. Ceterum pauci sunt loci, ubi hic Par., MF desertis, cum M^{2} T aut D congruat ut in:

6.7 *humanum animum* HD — 17.5 *spes dominationis* M^{2} — 18.3 *nequiuerat* M^{2}Tm.2 — 20.1 *huiuscemodi orationem* P^{4}T — 20.4 *idem* om Par+M^{2}Tm — 20.6 *in libertatem uindicamus* M^{2}T — 20.7 *condicionem* M^{2}T — 20.14 *ea omnia* D — 21.1 *ea accepere* D — 21.3 *sperabat* M^{2}Tl — 22.1 *fuere item ea* Tm — 27.1 *sibi*(*fore* om)Par. *fore sibi* M^{2}m *sibi fore* T — 32.1 *intempesta nocte* T — 35.2 *licet ueram* P^{4}HM^{2} — *alienum aes* M^{2}Tnm — 35.5 *mihi uim* P^{4}M^{2}.

Has lectiones credo satis multas esse, ut iis comprobetur Par. 6087 membrum esse stirpis Γ, et eum cum γ et imprimis cum F intima uinciri cognatione, licet passim praeditus sit lectionibus cum alio codice Γ stirpis conspirantibus quae a F dissideant. Ergo hic quoque integer meam de origine integrorum sententiam non modo non respuit sed ei quam optime fauet.

E ceteris lectionibus huius Parisini duas maxime memorabiles nomino: 17.2 is cum aliis integris recentioribus ueram lectionem seruauit, quam m. 2 in NTDF m adscripsit: *et plurimum audaciae*, et 25.2 super *saltare* m. 1 scripsit eam lectionem quae non nisi in X extat: *cantare*. Apparet librarium praeter exemplar quasi principale e Γ ortum altero usum esse, quod hic a X stet. Hocne exemplar etiam alibi cum X faciat nescio; nec potest probari, haecne lectio in eo integro, quod librarium usurpasse constat, an in tertio exemplari ab eo adhibito fuerit.

Postremo commemoro ne in hoc quidem integro indolem totius classis deesse: uoces creberrime sunt transpositae, non raro omissae; passim totae sententiae explicatiuae insertae sunt: 8.5 *exercebat.* magis uoluit facere quae essent laudabilia quam laudabilia facta aliorum describere. *Optimus quisque* — 10.5 *edocuit.* cum pecunia omnes dignitates posse acquiri. *ambitio.*

Ad hos quattuor locos quintum addam, iis quos nunc tractaui in eo similem, quod sententiae pars in omnium plurimis codicibus omissa in paucis integris nouissimae aetatis extat, sed ita dissimilem, ut testimonio ueteris scriptoris non nitatur:

J 21.4 tres adulescentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, senatus populique romani uerbis nuntient uelle et

censere eos ab armis discedere, de controuersiis suis iure potius quam bello disceptare.

Adnot. crit. de controuersiis — — disceptare *Lips. Biblioth. senat. Rep. fol. 14 (σ Dietschi). Leidensis G, Erlang. Vinar. II, Heuss. Franc. cod. Parcensis, in mg. adscr. Guelferb. 50,4 Ms. Aug. 8* (**g**² *Dietschi) Monacensis 2602* (μ *Dietschi) et nonnulli* codd. *Corti (cf appar. crit. Dietschi p 252).*

Non igitur mirum, si haec uerba addita editores alii non sine maxima dubitatione in textum receperunt, alii, in quorum numero est Dietsch, glossema statuentes reiecerunt. At uereor ne ea retineri debeant. Non quod existimem iis libris qui ea seruauerunt tantam fidem esse tribuendam, eoque minus quod huiusmodi glossemata longi spatii in integris uel optimis occurrunt (uide sis quae de **Is** supra adnotaui), sed longe alia me impulerunt, ut hanc sententiae partem defenderem. Respicias uelim has tres res. Primum lacuna archetypi Ω — ut ita dicam — hoc loco non minus iusta est quam iis quos iam dixi: hic ut illic haplographiae lacuna debetur, cum oculi librarii *discedere* scribentis in uerbum similiter incipiens exiensque *disceptare* aberrauerunt, quae culpa facilius excusatur, si sumimus hos duos infinitiuos eundem locum suae quemque lineae occupauisse[1]. Neque haec indiligentia scribendi debet offendere, quoniam scimus librarium Ω hac in re saepius peccasse. Tum haec uerba oratione Sallusti non modo digna sunt sed etiam postulari. Cum enim huius periodi membra quae praecedunt sunt dicola, concinnitas orationis uere Sallustianae flagitat, ut hoc quoque membrum e duobus colis constet. Consideres peto hanc structuram sententiae *sed postquam senatus de bello eorum accepit, tres adulescentes in Africam legantur, qui*

1. *ambos reges adeant,* 2. *senatus populique Romani uerbis nuntient*

1. *uelle* 2. *et censere*

1. *eos ab armis discedere*

et nunc mihi dic, sitne aptum atque adeo necessarium uerba illa quae pauci integri exhibent addere:

2. *de controuersiis suis iure potius quam bello disceptare.*

Denique — id quod a doctis uiris plus semel adnotatum est — uerba addita tuetur locus simillimus qui est in Caesaris Bell. Ciu. III 107, quem locum totum excribo: *interim controuersias regum ad populum Romanum et ad se, quod esset consul, pertinere existimans atque eo magis officio suo conuenire, quod superiore consulatu cum patre Ptolomaeo et lege et senatusconsulto societas erat facta, ostendit sibi placere regem Ptolomaeum atque eius sororem Cleopatram exercitus quos haberent dimittere et* de controuersiis iure apud se potius quam inter se armis disceptare. Quoniam igitur haec de quibus agitur uerba partem efficiunt senatusconsulti, quod, ut in actis eius generis solet fieri, uerbis solennibus est conscriptum, Sallustium ullam partem formulae usitatae omisisse uix est credibile. Adde quod cogitari nequit librarios saec. XIII—XV uerba a Caesare sumpta loco aptissimo Iugurthae Sallusti inseruisse; nam eos per se ipsos haec excogitasse sane absurdum est. Superest, ut ii haec in codice quodam repperint, quem simul cum codice ab Ω orto in Sallustio transcribendo usurpabant. Habemus igitur exemplum praeclarissimum, quod nos doceat integros etiam aliunde quam ex Ω fonte hausisse.

[1] Quoniam litterae quae exciderunt 48 efficiunt, credere licet eas in duas lineas esse diuisas; quo fit ut librarius duas lineas omiserit. Et haud scio an C 6. 2 litterae 57 omissae similem in modum sint dispositae. Cf Eranos 9 p 28 n.

CAP. III.

De codicibus incerti generis.

Ante lacunam Iugurthinam nonnulli libri desinunt, qui utrum inter mutilos an integros numerandi sint non liquet. Dietsch *in textu* Sallustiano *recensendo* hos *tres* adhibuit:

Einsiedelensem (Dietschio *E*, mihi **e**) s. XI in J 85.28 desinentem. Collationem Dietschi permultis locis Wirz et auxit et correxit, ut noua fere collatio euaderet[1].

Monacensem 4603 s. XI exeuntis in J 52.5 *in aequum locum* et

Guelferbytanum Extrau. 148 in J 15.4 *callide occultans* desinentes, aliosque eiusdem generis qui in bibliotheca Parisina adseruantur p 11 not. 2 enumerauit. E quibus plurimi sunt recentioris aetatis (s. XIV—XV). Tum duos libros Sangallenses s. XI aestate anni 1910 inspexi. Quamquam totos libros non percussi, tamen, cum permultos locos atque eos imprimis, qui ad indolem librorum cognoscendam plurimi sint momenti, contulerim, de cognatione eorum uix est dubitandum.

De unoquoque libro pauca dicam quam breuissime.

1. Liber **e**, qui maximas cum **m** habet similitudines, indidem atque hic oriundus est: **e** enim membrum est prosapiarum Π et Δ. Ut **m**, ita **e** nihil cum Σ commune habet, sed a Π certe pendet. At si **l** ad P, **e** similiter atque **m** ad P^1N proxime accedit. Lectionum Π propriarum unam J 40.4 *Mamilia*, quam non modo **m** sed etiam **l** aspernatus est, accepit; et e lectionibus P^1N, quibus **m** plerumque imbuebatur, duae tantummodo in **e** reperiuntur: C 31.7 *postulare patribus c. ne* et 39.2 *noxii*; cum **lm** lectionem PN J 11.3 *impari (impar ei* **l**) exhibet. Tum **e** proprietatum PP^1N, quarum **l** semper fere, raro **m** obnoxius est, paucas habet, uelut: J 40.1 *senati* **m**, 69.2 *irae* **l**, C 36.5 *senati* **lm**. Deinde cum **m** a P^1NK stat

---

[1] De auctoritate cod. P^1.

his locis: C 2.8 *transiere*, 37.5 *alii* (*qui* om), 52.14 *ne si Romae sint* om, 52.20 *res* om 54.4 *quod bono*, J 53.4 *triginta* alibi. Optime singularis locus cognationis, quem **e** in familia Π occupat, in iis lectonibus perspicitur, quae Π cum NK communes sunt. Namque **e**, ut C 18.2 *Tullo* cum **ls**, ita J 43.1 *Albini* cum **ms** exhibet et C 51.4 *p.c.* cum **n** omisit; atque ut C 51.27 *ignaros eius* in **e** non minus quam in omnibus **lsm** iuvenitur, ita **e** solus J 37.3 et 38.2 falsam lectionem Π NK *Albinus* pro *Aulus* scripsit. Et intimam cum P^1N cognationem ante omnia glossa J 17.6 *serpentes dicit* post *animalia* inserta testatur.

Simul **e** membrum stirpis Y esse multae lectiones declarant. Primum eae lectiones, quibus X insignitur, in **e** omnino desunt; tum omnes eae, quas **n** et **m** cum M^2T communes habent, in **e** quoque adsunt excepto C 52.11 ubi **e** ordinem uerborum *uocabula rerum* respuit; denique omnium plurimae transpositiones uerborum Γ propriae, alia multa quae in Y leguntur in **e** recepta sunt. Quibus rebus adductus **e** ex Δ maximam partem pendere sumo.

Et huic origini libri **e** optime id conuenit, quod cum **n m** coniunctis in Cat. non minus quam 25:ies, in Jug. 60:ies consentit, quibus omnibus locis unus saltem codicum P^1NKM^2T adest. Accedunt haud pauci loci, ubi **e** aut cum **m** aut cum **n** congruit, ita tamen ut lectiones societatis **e m** plus quam duplicem numerum efficiant. Vulgo iidem mutili sequuntur; fit tamen, ut omnibus mutilis relictis **e** cum integris finitimis se consociauerit. Quos locos denotabo:

em : b) C 23.6 *et* ante *quasi* om (m^2) — 47.2 *potiri* om **e** ss **m** (m^2) — 48.4 *ad* om (m^2g^1) — J 48.3 *ex* om **e** (s^1) ss **m**.

c) J 30.1 post *probarentne tantum flagitium* uerba *patres solliciti erant* add (m^2s^1)

d) J 26.2 *Italici censuerant* (g^6) — 66.2 *alienati uoluntate* **e** *alienati* ss. **m**.

e) C 36.4 *paterent* m. 1 (*parerent* corr) — J 7.5 *in primis esset* (g^3) — 31.22 *eripiatur* (*a* eras, item multi integri).

en : C 40.3 *uidit illos* **e** *uidet illos* **n** : *illos u.* — 42.3 *ex sociis* (in ras **e**): *ex senatus consulto* — J 18.4 *Medi et Persae* : *et* om.

Ergo constat **e** pariter atque **m** integrum e Π et Δ originem ducere, nec tamen ad idem exemplar factum sed nouam exemplarium contaminationem reddere.

Utrum **e** integer an mutilus fuerit quaeritur. Namque haec res, licet nunc cum originem uniuersam integrorum indagauimus

minor sit, tamen quoniam de ea uiri docti alius aliter iudicarunt, silentio a me praeteriri non debet. Rothio auctore Dietsch **e** pro mutilo habuit, Maurenbrecher[1] hac opinione nulla prorsus re confirmata non contentus in contrariam opinionem uidetur inclinare, quod multae lectiones huius codicis propriae cum testimoniis ueterum auctorum congruant. Neque tamen hoc argumentum ad eam rem de qua quaeritur probandam sufficit, quoniam non integros modo sed etiam mutilos huiusmodi lectionibus insignes esse plus semel commonui. Et si uerum quaerimus, nobis fatendum est hanc de natura libri **e** quaestionem hodieque haerere neque umquam in liquidum perduci posse; sed si probabilia sequimur, **e** inter integros potius quam inter mutilos numerandum crediderim. Quod ut opiner ante omnia id me commouet quod **e** cum **m** integro proxima coniunctus est affinitate.

Et **e** iisdem mendis atque integri laborat. In eo ordo uerborum creberrime mutatur, atque id ita ut non modo lectiones huius generis, quae sunt in Γ' et Y, plerumque participet sed etiam multa noua huius rei exempla perhibeat; lacunae propriae in Cat. 6, in Iug. 17 inueniuntur; parcior est in uocibus addendis glossisue inserendis, ut: C 11.6 *signa statuas tabulas* (*statuas* ss X NK) — 44.5 *fac ea cogites* — 51.40 *comparatae* — 60.2 *a signiferis ferentariis* — J 2.3 *sic et finis* — 8.2 *neu pro aliquibus* — 80.3 *magnis ingressus muneribus* — 83.1 *confideret consuleret*.

2. Codex Monacensis 4603 a X stirpe stat C 31.5 *aut sui* et J 46.8 *an praesens*, quibus locis **n l** alii integri item cum X faciunt; ceteris locis, ubi X suis lectionibus insignitur, ad Y transgressus est, ut C 25.2 *psallere et saltare* exhibet et C 35.1 *salutem* inseruit. Lectiones Π, Π N, Π NK omnes neglexit, sed cum P^{1}N et **mm^2** congruit C 16.2 *que* in *signatoresque* omittens. Contra lectionum NK plurimas hic Monacensis item ut **mm^2** accepit: C 47.1 *S(eru.)* praenomen et 56.5 *simul* omisit, C 30.5 *est* post *permissum* et 56.4 *in* ante Galliam addidit. Neque socios suos **mm^{1}m^2** alios finitimos, ad quos **e** quoque accedit, C 21.3 deseruit, ubi hi omnes cum KG mutilis *praeterea* ante *petere* inserunt. Et haec cum **emm^{1}m^2** cognatio in eo quoque apparet, quod multas earum lectionum, quae his libris cum M^{2}T communes sunt, recepit; quamquam alias easque paulo plures aspernatus est. Ut in hoc libro Monacensi hae lectiones reperiuntur: C 10.1 *sed ubi r. p. iustitia creuit atque labore* —

[1] Jahresber. 101 p 206.

10.5 *et ambitio* — 16.3 *aut manus aut* — 21.1 *armis praemia* — 35.3 *alienum aes* — 37.3 *omnia mutari* — 53.4 *superasset* — 58.17 *est maximum* — 61.1 *fuisset uis* — J. 50.5 *turba*.

Ubicumque hic liber cum Γ' consentit, unus uel plures librorum, quos diximus, **emm^{1}m^2** semper adsunt. Quod fit in transpositionibus uerborum J 13.6, 14.5, 20.3, 22.2, 23.2, 38.5, 44.5, 50.3 et in aliis lectionibus ut C 26.5 *uenit ac* — J 29.3 *acceperat*, 39.5 *agendum*, 40.3 *quantum intenta*, 46.5 *obuiam*, 46.8 *incertum*. Eademque condicio ualet, quotienscumque Monacensis et Γ conueniunt. Quamquam is similiter atque **em** multo parcius quam **m^{1}m^2** huic consensui indulget. At passim a Γ stat: C 25.5 glossam *sales*, quam **m** supra scriptam habet, cum **m^1** in textum recepit itemque **m^1** alios sequens glossas C 30.6 *decreuere*, 42.2 *paulo* — J 35.4 *ut* adiecit; neque deest lectio J 51.4 *accedentes* in Γ' **m^2** tradita. Tum cum γ' passim conspirat, hac in re uestigia eorundem integrorum **m^{1}m^2** (**s^2**) premens: C 40.1 *praeterea* om (m^2) — J 50.3 *repente* om (m^2), 43.5 *ex uolo* glossam ante *ex sententia* praemisit (m^1, cf mm^2), uerba transposuit J 31.14 *transtulere uestram* (mm^{1}m^2) — 35.7 *fit magis ex aequo bonoque* (m^1) — 42.2 *animus moderatus* (s^2) — 44.4 *aestiuorum temporis* (e) — 44.5 *cum militibus permixti* (s^2) — 46.5 *cultores pecoraque* (s^2) — 49.6 *hortatus milites* (m^{2}s^2) — 50.4 *dextra ac sinistra* (m^{2}s^2) — ibd. *hostibus obuii* (m^2) — 52.3 *uesper erat diei* (e). — Addas quod non aliter atque **m^{1}m^2**, licet non semper iisdem atque hi locis, lectionibus γ raro praeditus est.

His omnibus rebus consideratis non dubito adseuerare hunc Monacensem cum **mm^{1}m^2** proxime cognatum esse, indidem atque eos oriundum, inter integros inserendum.

3. Quae de Monacensi diximus, ea omnia ad Guelferbytanum Extrau. 148 pertinent, nisi quod hic a X nusquam stat: cum iisdem libris et mutilis et integris consentit, saepe cum Monacensi coniunctus, rarius solus. Quare superuacuaneum habeo lectiones congruas omnium generum enumerare.

4. Codex Sangallensis 864, s. XI scriptus, membranaceus forma 4^0 collecticius est liber 406 paginarum. In hoc libro insunt: Carmina Horati pp 6—118, Pharsalia Lucani libri I—VII 389 pp 119—267, Catilina et fragmenta Iugurthae Sallusti (plurima desunt: capita 14—28, 31—33, 36—47, 50—114) pp 268—349, Amores Ouidi

libri I—III 7.74 pp 350—396. Ut igitur quattuor codices in uno corpore collecti sunt, ita inter manus codicum discrimina perspiciuntur. Et ne totum quidem Sallustium una eademque manus scripsit, sed nonnullis quidem locis indoles stili a ceteris partibus diuersi apparet.[1]

Hunc librum magna ex parte a Σ pendere lectiones huic prosapiae peculiares quae in eo occurrunt satis declarant: C 26.5 *quas consuli (in campo* om) *fecerat* — 29.3 *nulli* — 30.4 *ei* om — 30.6 *et sestertia ducenta milia* — 35.3 *non possem sed et*. Cui rei conuenit, quod hic Sangallensis, si libri X alii alio trahuntur, ab ea parte plerumque stat, ubi sunt Σ libri aut omnes aut nonnulli. Videas ex. c. C 3.2 *auctorem* — 5.4 *cuius libet rei* — 7.6 *sic se quisque* — 25.3 *libidine* — 35.3 *non quia* (G n l s) — 43.2 *Statilius* (om *et*) *Gabinius* — 43.3 *consulto* — 51.27 *ignaros ciues* — 52.27 *conuertatur* — J 14.21 *ut ille*. Quare consensus cum X tota huius libri ad Σ reuocandus est. E satis magna copia lectionum congruarum has maxime memorabiles denoto: C 14.2 *impudicus adulter alea manu uentre ganeo pene* (cf confusio uerborum quae est in X et subst. *alea* additum) — 25.2 *psallere et cantare* — 31.5 *aut sui* — 31.9 *restringam* (*r* poster. eras) — 32.1 *ea* om) — 35.1 *salutem* al. m. add. — J 9.2 *certo*.

At simul multas lectiones aliunde sumpsit. Quae fontes Z et Δ uulgo sapiunt. Fit igitur ut etiam cum Y et Γ passim congruat. Et id efficitur, ut Sangallensis sit integro **n**, qui ex iisdem fontibus Σ et Δ hausit, simillimus. Quam similitudinem etiam ad **m** eiusque finitimos pertinere origine horum integrorum supra probata elucet. Paucas lectiones adferam: C 51.4 *p. c.* om (ΠNK n m e) — 51.27 *rebus domesticis* (NKM²T m e) — 52.26 *etiam* om (NΓ n m e) — 52.36 *se* om (N n m s e) — 55.5 *per indices* (GΓ) — 56.1 *quam* (*et* om) *ipse* (Y n m e) — 56.4 *in Galliam* (NK n m e) — 56.5 *simul* om (NK m) — 61.8 *qui ad ea* (m) — J 14.3 *sed si ea* (e, cf *sed ea si* GΓ's). [Multas lectiones Gerlach ed. 1831 uol. III p 381—82 publici iuris fecit].

5. Alter codex Sangallensis 636 s. XI. membran. forma 8° paginarum 206 non una manu scriptus est. Hic enim codex e pluribus fasciculis collectis constat siue mauis fragmenta plurium codicum continet. Quo factum est, ut compluria capita Iug., pauca Cat. bis traderentur. Tres saltem codices dispari manu scriptos discerno: primi codicis sunt pp 1—118 et 135—178, quas in eodem libro locum

[1] Cf »Verzeichniss der Handschriften der Stiftsbibliothek von S:t Gallen» (Halle 1875).

habuisse non modo eodem stilo cognoscitur sed etiam eo comprobatur, quod p 135 ea quae p 118 interrupta sunt excipiuntur, ut uno tenore legantur J 14.11 *in imperio uestro sicut* (p 118 ima) || *uidetis extorrem* (p 135 summa). Hic codex J 41.5 *dilacerata* || finitur. Alter codex binas quaterniones, i. e. pp 119—134 et pp 179—194, efficiens — namque, nisi oculi me fallunt, eadem manu ambae quaterniones scriptae sunt — duo fragmenta Iugurthina continet: prius frg. a 1.3 || *probitatem industriam* incipens in 14.11 *inopem et coopertum* || exit, alterum a 52.1 *certabant* usque ad 66.1 *interim* pertinet. Tertii denique codicis sex tantum folia supersunt, in quibus C 46.2—50.4 et 51.24—52.14 leguntur.[1]

Neque eodem exemplari hi tres codices usi sunt. Codices I et III, quorum sunt pauca capita Cat. communia, has praebent discrepantias lectionum:

	Cod. I	Cod. III
C 47.3	*habebantur* ('lapsus calami' pro *habeantur*)	*haberentur*
49.1	*neque precibus neque gratia neque pretio*	*neque precibus neque pretio neque gratia*
49.4	*circum*	*circa*
50.3	*facere placeat*	*fieri placeat*
51.24	*sin quia quod indicasti est qui*	*sin quia leuius est qui*
51.27	*ex bonis* (*rebus* om)	*ex rebus domesticis* (*dom* exp *bonis* ss)
ibd.	*ignaros* (*eius* om)	*ignaros eius*
51.33	*ut in*	*ut is in*
51.39	lacuna § 38 *postremo* — — § 40 *postquam*	*de condemnatis supplicium summum* (*demnatis* in ras, *summum* in mg, ut a principio scriptum uideatur: *de condemnatissimo supplicium*)
51.41	*hanc ego*	*ego hanc*
52.14	*timens ne si n̄ Romae sint aut*	*timens ne si Romae sint ut aut*

Consentiunt tamen 47.1 *P. Autronium* (S om) *Sullam* (NK n m e)

[1] Cf »Verzeichniss etc.», ubi tamen nihil inuenias eorum, quae de manibus atque adeo codicibus docuimus. Maximam copiam lectionum Gerlach ed. 1831 uol. III p 377—381 in lucem produxit, sed de pluribus manibus nihil dixit.

libri I—III ... ...ices in uno
corpore collecti sunt, ita inter manus codicum discrimina perspici-
tur. Et ne totum quidem Sallustium una eademque manus scrip-
..., sed nonnullis quidem locis indoles stili a ceteris partibus diuersi
...paret.[1]

Hunc librum magna ex parte a Σ pendere lectiones huic prosa-
... peculiares quae in eo occurrunt satis declarant: C 26.5 *quas con-*
(in campo om) fecerat — 29.3 *nulli* — 30.4 *ei* om — 30.6 *et sester-*
...centa milia — 35.3 *non possem sed et.* Cui rei conuenit, quod
...angallensis. si libri X alii alio trahuntur, ab ea parte plerumque
...ubi sunt Σ libri aut omnes aut nonnulli. Videas ex. c. C 3.2
...em — 5.4 *cuius libet rei* — 7.6 *sic se quisque* — 25.3 *libidine*
...s non quia (Gnls) — 43.2 *Statilius* (om *et*) *Gabinius* — 43.3 *con-*
... 51.27 *ignaros ciues* — 52.27 *conuertatur* — J 14.21 *ut ille.*
...onsensus cum X tota huius libri ad Σ reuocandus est. E satis
...opia lectionum congruarum has maxime memorabiles denoto:
...impudicus adulter alea manu uentre ganeo pene (cf confusio
...n quae est in X et subst. *alea* additum) — 25.2 *psallere et*
— 31.5 *aut sui* — 31.9 *restringam* (*r* poster. eras) — 32.1 *ea*
...5.1 *salutem* al. m. add. — J 9.2 *certo.*
...simul multas lectiones aliunde sumpsit. Quae fontes Z et Δ
...unt. Fit igitur ut etiam cum Y et Γ passim congruat. Et id
...t Sangallensis sit integro **n**, qui ex iisdem fontibus Σ et Δ
...illimus. Quam similitudinem etiam ad **m** eiusque finiti-
...ere origine horum integrorum supra probata elucet. Pau-
...s adferam: C 51.4 *p. c.* om (ΠΝΚnme) — 51.27 *rebus dome-*
...ΓTme) — 52.26 *etiam* om (ΝΓnme) — 52.36 *se* om (Nnmse)
...indices (GΓ) — 56.1 *quam* (*et* om) *ipse* (Ynme) — 56.4
...NKnme) — 56.5 *simul* om (NKm) — 61.8 *qui ad ea* (m)
... si ea (**e**, cf *sed ea si* GΓ's). [Multas lectiones Gerlach
... III p 381—82 publici iuris fecit].

... codex Sangallensis 636 s. XI. membran. forma 8° pagi-
...n una manu scriptus est. Hic enim codex e pluribus
...ctis constat siue mauis fragmenta plurium codicum
... factum est, ut compluria capita Iug., pauca Cat. bis
...Tres saltem codices dispari manu scriptos discerno:
...nt pp 1—118 et 135—178, quas in eodem libro locum

...chnis der Handschriften der Stiftsbibliothek von S:t Gallen»

habuisse non modo eodem stilo [illegible] ... tur, quod p 135 ea quae p 118 *interrupta* [illegible] ... tenore legantur J 14.11 *in imperio uestro* [illegible] ... *tis extorrem* (p 135 summa). Hic codex J 41.5 [illegible] ... Alter codex binas quaterniones, i. e. pp 119—134 [illegible] ... efficiens — namque, nisi oculi me fallunt, [illegible] ... niones scriptae sunt — duo fragmenta Iugurthina [illegible] ... frg. a 1.3 ‖ *probitatem industriam* [illegible] ... *pertum* ‖ exit, alterum a 52.1 *certabant* [illegible] ... Tertii denique codicis sex tantum folia [illegible] ... 50.4 et 51.24—52.14 leguntur.[1]

Neque eodem exemplari hi tres codices [illegible] ... III, quorum sunt pauca capita Cat. communia, has [illegible] pantias lectionum:

	Cod. I	Cod. III
C 47.3	*habebantur* ('lapsus calami' pro *haberentur habeantur*)	
49.1	*neque precibus neque gratia ne- que pretio*	*neque precibus neque pretio ne- que gratia*
49.4	*circum*	*circa*
50.3	*facere placeat*	*fieri placeat*
51.24	*sin quia quod indicasti est qui*	*sin quia leuius est qui*
51.27	*ex bonis* (*rebus* om)	*ex rebus domesticis* (*dom* exp *bonis* ss)
ibd.	*ignaros* (*eius* om)	...*os eius*
51.33	*ut in*	...
51.39	lacuna § 38 *pos*... — § 40	...

... *supplicium* ... *tis in ras,* ... ut a ... idea- ... *imo* ... tur: ... *supplicium* ... nc ... *Romae sint ut aut* ... (NKnme) ... nibus

— 47.3 *abdicato* (XZ integri) — 47.4 *ante* (*ex* om) *fuga* (NM^2m s e) exhibentes.

Hae lectiones quas commemoraui indicant, qualis sit indoles horum codicum. Cum enim lectio cod. I C 50.3 in M^2Tn m e reperiatur et 51.24 glossema *quod iudicasti* nusquam nisi in M^2Ts locum habeat, dubium esse non potest, quin hic codex a Δ oriundus sit. Accedit quod lectiones codd. I et III congruas ad Z et Δ familias proxime cognatas spectant. Et haec cognatio aliis lectionibus, quas mox adlaturus sum, confirmabitur. Cod. III, quem Y stirpis membrum esse lectio 47.3 *haberentur* demonstrat, ceteris locis insignia Z et γ prae se fert: ut 51.27 (NKM^2m e et ΠNK l s m) Z sapiunt, ita 49.1 et 51.39, 41 lectiones γ reddunt.

Num inter codd. I et II concordia an dissimilitudo sit lectionum capitum J 1—14, doleo me dicere non posse, quoniam quae sint lectiones codicis II adnotare neglexi.

Nunc uero ad codicem I reuertor, ut ceteris lectionibus consideratis originem eius melius cognoscamus. Et uidebimus eum cognationem librorum $N(K)M^2T$n e quam fidelissime seruare simulque ad P^1, quocum N intime cohaeret, proxime accedere. Quod ut comprobem, aliquot lectiones, quae omnes antea in hac disputatione nobis occurrerunt, iterum proferam:

C 3.2 *transiere* (KM^2m e, cf P^1N) — 20.3 *nobis eadem* (*quae* ss al. m.) *mihi* (N m) — 21.1 *armis praemia* (M^2Tn m e) — 26.5 *petitiones* (*Y*) — 30.6 *praemia decreuere seruo* (Γs, *decreuere* ss P^1e) — 30.6 *et s. c.* om (KM^2T eras e) — 31.9 *restingam* (PNG s) — 33.1 |||*cepisse* (*con* eras) *concepisse* (M^2Tm) — 35.3 *possem set cum* Sang. *possem sed* (*cum* ss) P^1P^4 — 39.2 *noxii* (P^1Nm e) — 43.1 *uideba*||*tur* (**n** eras) Sang (N m) — 51.4 *p. c.* om (ΠNK n m e) — 52.26 *etiam* ss (om N Γ n m e) — 52.33 *alterum iam* (n e) — 52.36 *se* om (N n m e) — 54.4 *quod bono* (P^1NKM^2m e) — 55.4 *incultu* (PN l s m) — 58.21 *cauete ne inulti* (P^1 KΓn s) — 59.2 *reliquorum* (ZM^2Tn m s e) — J 14.3 *sed si ea* (e) — 14.25 *mihi misero mihi* (P^1) — ibd. *Numidiae uestrum est quod* (N m) — 16.5 *usui* (P^1N) — 18.7 *Nomadas* (PP^1m) — 18.8 *tecto* (ΠΓ′e) — 24.10 *me ex manibus* (P^1P^2N Γ′n m e) — 29.4 *Vagam* (P^1NHm s e) — 30.3 *monere remp. ne libertatem* (P^1) — 31.2 *quam(que* om *)multi* (P^1m) — 31.12 *idemque* (P^1NΓ′m) — 31.19 *in remp.* (P^1NΓ′n m s) — 39.2 *utrum foedus quod fr̄ pepigerat cum Iugurta firmum etiam* (*et* **m**) *sic factum perdurare debuisset* (om *necne*) Sang. (**m**, cf **l s**) — 40.4 *Maniliana* (NK) — 41.1 *et factionum* (*senatus* om) Sang. (N m).

Et apparet ad P^1 cognationem reuocandam esse lectionem C 14.2 *i mpudicus adulter alea 'manu uentre 'ganeo pene* (hasta substantiuis *manu* et *ganeo* praefixa significat *ganeo* ante *manu* esse collocandum). Pro his eae lectiones paucae sunt, ubi neque P^1 neque N adest. Quod si fit, M^2T in affinium locum succedunt. Ad exempla huius cognationis iam adlata haec addam: C 30.6 *et sestertiorum ducenta milia* (Γ) — 55.5 *per iudices* Sang. *per indices* Γ — J 29.5 *per scaurum* (Γs) — 31.17 *Auentinum montem* (P^4GΓ′n).

Id igitur certe constat librarium huius Sangallensis exemplari usum esse quod sit e P^1N et M^2T quodammodo contaminatum. Et haud scio an ipse librarius haec duo exemplaria prae se habuerit. Quod ut credam adducor J 24.2 contemplans, ubi Sangallensis *me* pronomen omisit: leguntur enim *me extinguendi* (XZ l m s) et *extinguendi me* (Γn e).

Codex II indidem atque I, licet K quam N similior sit, ortum esse his lectionibus satis elucet: J 52.3 *die* (ΠY m) — *praeceptum fuerat* (XZ l s) — 52.4 *plerosque* (P^1P^4Ym) — 53.7 *apud alteros* (XKG l m s) — 54.4 *Numida* (ΠZγ l m) — 55.4 *eo magis animus anxius* (NK m) — 57.4 *alii succedere ac murum* (XKG l s) — 61.1 *Iugurtham niti ex* (ΠZlme) — 61.4 *uadibus datis clam* (P^2BNKΓ′l s m) — *Massiuae de nece* (P^1n s e) — 62.1 *merenti* (*ita* ss) Sang. *merenti* P^4NGΓ′ (*ita* add Γ m) — 62.4 *atque aliorum* (Γn m e) — 63.6 *uir appetere non audebat. nam postea praeceps datus est* (K n m).

Ut summam faciam eorum, quae de libris incerti generis disputauimus, omnes hi libri, in quos inquisiuimus, cum suis quisque et mutilis et integris proxime cohaerent: eaedem lectiones, quas in illis ante cognouimus, in his identidem offendimus; neque noui quidquam in his libris perscrutandis indagauimus, nisi quod lectiones notissimae in his atque in illis paulo aliter sunt permixtae. Quae cum ita sint, spero fore ut me nemo leuitatis accusem, si eos ex apparatu critico excludam, excepto **e**, qui tantam mutilationem quantam ceteri non sit passus.

CAP. IV.

De codicibus orationes epistulasque continentibus.

1. Vaticanum lat. 3864 (V) s. X membran. Hauler[1] quam accuratissime descripsit et collatione sua diligentissima collationem Iordani Dietschi aliorum auxit emendauitque.

Bernensem 357, in quo orationes non omnes sed selectae inueniuntur, idem Hauler l. q. d. tractauit et ei sententiae indulget, quod hunc Bernensem non ex ipso V pendere, id quod Weinhold[2] contenderat, sed ex eodem atque illum fonte fluxisse existimat. Et quoniam Haulero iudice huius libri pretium minimum est, quippe cuius lectiones plurimae cum V congruant, paucae ab illo discrepantes mera sint uitia librarii, hunc librum omnino omittam et de V uno fusius agam.

V codex quibus bonis malisque excellat, Hauler maxima cura enotauit, et quae sit eius origo, quantum licet conicere, demonstrauit. Qui postquam opinionem Iordani sumentis genuinum textum libri cuiusdam antiquioris medio in aeuo scripti arbitrio librarii correctum esse refutauit, originem eius ad tempora ipsius antiquitatis certe reuocandam probauit, i. e. proauum huius libri inter eas eclogas Sallusti numerandum, quas constat I et II saeculis factas esse. Et credo hac in re omnes nunc Haulero adsentiri. Id igitur primum tenendum est, ut codex V sui sit iuris et recensionem Sallusti etiam antiquiorem reddat quam quae sit in archetypo Ω tradita. Nec tamen obliuiscendum est, ut in omnibus libris ita in hoc fieri potuisse, ut a uirtute maiorum degeneraretur.

Quae sit ratio inter V et mutilos integrosque, quos adhuc tractauimus, quaeritur. Cum qua altera quaestio cohaeret: si testimonia Vaticani et illorum — id quod persaepe fit — alterum ab altero discedant, maiorne fides tribuenda sit V an illis.

[1] Wiener Studien 17 p 122 sqq.

[2] Quaestiones Sallustianae (Acta Soc. phoil. Lips. I p 230 sq).

De hac re docti uiri et crebrius et intentius quam de ulla alia re quae ad textum Sallusti pertineat contenderunt, id inprimis disceptantes utrum V an P in textu recensendo praeferendum esse existimemus. Nimirum et hic et ille liber suos habuit defensores eosque acerrimos. V superiorem esse ante ceteros Weinhold praeeunte Woelfflinio firmissime adseuerat eiusque lectiones fere omnes argumentis quibuslibet usus pertinaciter tuetur, neque minus obstinate P omnibus laudibus extollit Kuhlmann[1], qui etiam Iordanum P libri patronum amore et studio huius libri uincat. Et mire accidit, quod et Weinhold et Kuhlmann pro sua quisque opinione iisdem non modo argumentis sed etiam uerbis — licet paucioribus hic, ille multo pluribus — persaepe utuntur. Quae Weinhold in V uno recte tradita esse sibi persuasit, eadem Kuhlmann deterioris notae lectiones iudicans aspernatur, et contra. Ex multis huius rei exemplis haec pauca e Iug. 85 deprompta excribere mihi libet.

1) J 85.11 Weinhold: »Hic in V et C *imperatorem* legitur[2], in PC *imperare* scriptum est, quod Iordanus, Dietschius, Iacobsius ipsi Sallustio tribuerunt. Quorum rationi tantum abest ut assentiar, ut hinc pulcherrimum exemplum peti credam quo praestantia libri V atque interpolatio reliquorum librorum probetur. Atque ut illud ne premam, non facile fieri potuisse uideri, ut *imperatorem* ex *imperare* — — — oriretur — — —: ipsi sententiae dici nequit quantum *imperare* scriptura recepta detrahatur. Aut enim hariolor aut Sallusti in orationibus componendis artem illi non satis magni faciunt, qui, quid legibus artis grammaticae repugnet, respiciunt, quid uero pulchrius, quid grauius, quid animo consilio moribus eius, quem Sallustius loquentem facit, accomodatius sit, parum curant. Hoc autem loco id Mario esse propositum patet, ut nobiles et senatus factionem omnibus modis uexet atque lacesset: id quod multo grauius fit, si *imperatorem* dicit, non solum *imperare*, et ut illa uox mox acerbissima cum irrisione repetatur.«

Kuhlmann: »Paullo grauior discrepantia est Jug. 85.11, ubi legitur: »itaque plerumque euenit, ut quem uos i m p e r a r e iussistis, i s i m p e r a t o r e m alium quaerat« (i m p e r a r e PC i m p e r a t o r e m VC, i s i m p e r a t o r e m PC i s s i b i i m-

[1] De Sallustii codice Parisino 500 (Progr. 1881). Quaestiones Sallustianae criticae (Progr. 1887).

[2] Uterque siglum Iordani C adhibet, ceteros mutilos P excepto significans.

peratorem VC). Utrumque dici potest. Sed Vaticani scripturam magnam suspicionem mouere uix est quod moneam.»

2) J 85.23 Weinhold: »Plane autem manifestum exemplum, quo doceatur in V ueram atque antiquam scripturam mansisse, reliquos libros licenter mutatos esse, § 23 habes. Ibi enim ille haec prodidit: *maiorum gloria posteris quasi lumen est* neque mala neque bona *eorum in occulto patitur:* quibus in uerbis, qui et familiae optimae et deteriorum exemplum archetypum scripsit, siue putauit *bona* ut plerumque primo loco collocandum esse, siue consuetudinis cotidianae recordationi cessit, *neque bona neque mala* posuit. Quod minime recte se habere inde apparet, quod Marius non id maxime oratione sua premit, *bona* posterorum propter maiorum gloriam in occulto esse non posse, sed alterum imprimis docere atque demonstrare hoc uult, maiorum gloria turpia posterorum facta non occultari, sed tamquam illustrari.»

Kuhlmann: »Restat, ut absoluam de Jug. 85.23, ubi in PC legitur: — — neque bona neque mala — —, in V: neque mala neque bona. Eam, quae in V est, uerborum collocationem ferri non posse patet. Etenim scriptor Marium hunc fere in modum dicentem facit: Quorum maiores gloria floruerunt, ei tamquam in clarissima luce uersantur, ut neque bona neque mala eorum in occulto esse possint (so dass ihre Vorzüge, freilich auch ihre Fehler nicht verborgen bleiben können). Deinde pergit Marius: »huiusce rei ego inopiam patior, Quirites, uerum id quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet». In hoc sententiarum nexu tantum abest, ut »mala» priore loco ponendum esse concedamus, ut ea notione paene careri (sic!) posse existimemus.»

Apparet haec atque similia argumenta ab utroque identidem iterata ad ea quae usurpata sunt eandem, i. e. nullam, uim habere comprobandi. Ut iudicium Weinholdi V iusto pluris aestimantis spernendum nobis est, ita non minus debemus repudiare sententiam, qua Kuhlmann disputationes suas comprehendit dicens: »quoniam recensioni Sallustianae ne minimus quidem usus e libro Vaticano exsistit, ut orationes et epistolae, quae e Bell. Cat. et Iug. excerptae illo traduntur, secure abici possint, nonne iure optimo Vaticanum — — plane spernendum esse contendi?»

At uerborum pompam omittamus et ad ueritatem rerum reuertamur.

2. Ex iis, quae Hauler de V disputauit, statim concluditur in

V antiquam textus recensionem latere et aetate et origine distantem. Sed ne V codici palmam ubique tribuamus, nos id monet, quod iam prisca illa aetate textus Sallustianus multis discrepantiis lectionum abundabat, ut ipsi scriptores saec. II—V alius aliam lectionem traderent et praeferrent; de qua re in sequenti parte plura dicam. Sequitur, ut Ω non minus quam V antiquitatem sapere possit. Et respicientibus V codicem eidem fortunae atque ceteros libros manuscriptos obnoxium esse, ut librarii aut consilio aut casu textum mutarint, uix negandum est V textum multis in rebus uitiatum prae se ferre. His omnibus consideratis, auctoritas V et Ω facile par uidetur. Ergo quaestio illa, a qua profecti sumus, etiamnunc haeret, si Ω et V differant, utri fonti plus sit confidendum. Namque si eos locos excipimus, ubi librarium V incuria peccasse patet, multi supersunt, in quibus ualet discordia.

Hi loci discrepantes in duo genera distinguuntur: in paucioribus V unus contra Ω coniunctam facit (A), in multo pluribus cum V pars maior minorue librorum Ω consentit (B).

A. Quod ad prius genus attinet, nobis fatendum est, si nulla alia re nisi ipsa auctoritate librorum duceremur, quoniam Ω et V se aequant, nos omnino non posse ad certum iudicium peruenire. Sunt tamen persaepe aliae res, quae ad alteram partem accedentes huius rei momentum faciant. Passim tertius testis nobis adest scriptor antiquus, cuius iudicio lis dirimatur, quoniam consensu duorum testium de testimonio tertii actum est. Et ab his testimoniis destitutos necesse erit nos iudicium referre ad ipsam orationem Sallusti. Sed si — quod miserrimum est — hoc quoque auxilium deest, nihil aliud relinquitur nisi ut 'non liquet' pronuntiemus.

Iam eos locos enumerabo, ubi ab altera parte V solus, ab altera stant reliqui libri Sallustiani. Neque nunc rationem habeo, pro utra parte scriptores antiqui testimonium dicant. Atque primum uitia manifesta libri V secludam — utrum ea ipsi librario V debeantur an ab librario eius exemplaris iam facta sint, non curo: J 14.9 *id potissimum : is p.* — 11 *et ubiuis : ut u.* — 13 *sumus : simus* — 24 *dedocere : dedecore* — 25 *per uos* — *p. romani* om — 24.6 *expuli : expulit* — 31.2 *inuiti : inulti* (cf *multi* BM²Dn) — 5 *situm estq. : situm est Quirites* — 11 *Quirites* om — 16 *profectione que : profecto neque* — 26 *uindicantur : uindcatum* — 85.9 *uerti : uertit* — 12 *malorum : maiorum* — 16 *maluisse : uoluisse* — 28 *numerorum : num eorum* — 110.1 *eore : fore.* Inter hos locos credo numerandum esse 102.8 *per-*

pessus esse sed : p. esses sed. Quibus in locis quin lectiones Ω accipiendae sint, nullum dubium esse debet. Quomodo haec menda explicari possint, uideas Haulerum p 146 sqq. Addo duos locos, ubi ad V unus codex Ω accedit: C 20.10 *hominem* (g) *: hominum* — 52.15 *ad defendum* (M^2) *: ad defendendum,* quam concordiam casui adtribuo.

Tum ad ueras dissimilitudines transgrediar, ubi dispares lectiones per se quaeque tolerari possint:

C 51.19 *in armis sint : sint in a.* — 33 *initium magnae cladis : magnae initium cladis* (cf *magn. cl. in.* p^4 g γ) — 35 *haec ego : ego haec* — 52.2 *longe alia mihi : longe mihi alia* — 35 *in sinu : in sinu urbis* — ibd. *occulte potest : potest occulte* — J 14.11 *et superbia : atque superbia* — 12 *multum laboris : m. laborem* — 15 *ceteros : cet. meos* — ibd. *relicta anima est : rel. est anima* — ibd. *atque luctu : et luctu* — 24.2 *saepe uos : s. ad uos* — 3 *patris : patris mei* — 8 *uestra uis : uis uestra* — 9 *scripsi : scribo* — 10 *cruciatum : cruciatus* — 31.25 *amittatis : omittatis* — 85.10 *hominem ueteris prosapiae multarum imaginum et nullius stipendi : h. u. pr. ac.* (*aut* P^2B) *mult. im. et n. st.* — 16 *ex matre : ex patribus* — ibd. *possit : posset* — ibd. *ex sese : ex se* — 18 *haec per illa : per haec illum* — 45 *sciens et : sc. sed* — 47 *periculis : periculi* — 48 *subuenire rei p. : reip. subuenire* — 102.5 *quod te : cum te* — 8 *principio : a. pr.*

Haec exempla recensentes tria genera facile discernimus. Primum in V omissae sunt uoces quaedam in Ω traditae, uelut pron. poss. J 14. 15; 24.3, aliae uoces C 52.35 *urbis* — J 24.2 *ad,* 85.10 *ac,* 102.8 *a.* Tum ordo uerborum in V alius est atque in Ω : C 51.19, 33,35; 52.2,35 — J 14.15; 24.8; 85.18,48. Denique in V aliae uoces uel formae uocum atque in Ω traduntur: J 14.11 *et* pro *atque,* 14.15 *atque* pro *et,* 85.16 *matre* pro *patribus,* 85.45 *et* pro *sed,* 102.5 *quod* pro *cum* — J 14.12 *laboris* pro *laborem,* 24.9 *scripsi* pro *scribo,* 24.10 *cruciatum* pro *cruciatus,* aliae.

Si nullo loco certe potest dici lectionem in V traditam ueram esse, falsas se esse ipsae lectiones profitentur his locis: J 24.9 *scripsi,* ubi praesens sententia postulatur, 85.16 *matre,* quam glossam genuinum substantiuum *patribus* extrusisse Hauler p 148 recte commonuit, 85.47 *periculis,* quem casum sermo Sallusti quamuis multis in rebus liberior non patitur. Ubicumque autem in V alius ordo uerborum aliaeque coniunctiones copulatiuae in V atque in Ω traditae sunt, non licebit certe quidquam iudicare, priusquam qualis sit in singulis oratio Sallustiana penitus erit cognitum. At iam nunc id potest dici,

liberiorem ordinem uerborum qui est in Ω, in o r a t i o n i b u s Sallustium non modo tolerauisse sed etiam adamauisse.[1]

B. Multo maior est numerus lectionum, ubi V cum parte quadam codicum Ω aut mutilorum aut integrorum aut utriusque classis conspiret. Sed plurimi interest, qui libri cum V consentiant. Non multum atque adeo nihil tribuendum est ei concordiae, quae est inter V et unum paucosue integros recentissimae aetatis; nam praeterquam quod hic consensus plerumque fortuitus uidetur, nihil impedit quin hi libri ab ipso V pendeant. Huc pertinere puto tales lectiones, quales sunt:

C 20.6 *magis magisque* (g^5n) *: magis* — 33.1 *nostrum cuiquam* (p g^4) *: cuiq. nostrum* — 35.5 *Orestillam tibi commendo* (p^3 g^6 γ) *: tibi* om — 51.9 *sententiam* (p^6) *: sententias* — 21 *in eos uerberibus* (g^5, Guelferb. Extrau. 148) *: uerb. in eos* — 34 *fuit* (m^1) *: fuerat* — 40 *circumueniri* (p^6r) *: circumuenire* — J 14.9 *liberis* (σ) *: liberis tuis* — 18 *neu foedera* (g^2qr) *: ne f.* — 31.14 *itaque quam* (p^6) *: ita quam* — 19 *contemnet* (p^5g^5) *: contemnit* — 85.39 *quae libet mihi* (p^3) *: quae mihi libet* — 42 *uiri* om (g^2).

Hae enim lectiones iisdem fere condicionibus obnoxiae sunt quibus lectiones supra tractatae. Cum Ω et V sibi impugnent, utra lectio pluris sit aestimanda ex aliis rebus pendet. Neque dubito huc etiam referre C 51.4, ubi cum V se consociauerunt multi integri recentissimi (p $p^3g^1g^4g^6$qσμγ) indicatiuum *consuluerunt* perhibentes. Nam cum illi integri lectiones undique decerpsisse iam uiderimus, id offendere non debet quod e V quoque aliquid sunt furati.

At longe alia res est, si V libro lectionum commercium est eorum librorum, qui aut ipsi eadem aetate scripti sunt qua V aut exemplaria eorum ab hac aetate non multum recedunt. Quamquam in hoc quoque genere similitudinum maxima utendum est cautione ne quaslibet communione fontis effectas credamus. Et credo hanc rem ab iis, qui ante me sententias dixerunt, nimis paulum esse consideratam. Sunt sane similitudines, quas uix negandum est fortunae potius quam cognationi tribui debere. Si constat litteras simillimas uelut *e* et *i*, *n* et *u* creberrime permutatas a librariis, qui exemplaria minusculis picta transcribebant, temerarium est statim concludere, si quae dissimilitudines huius generis in libris Ω reperiantur, lectiones paucorum librorum Ω cum V congruas eundem fontem redolere, cum

[1] De his aliisque id genus Eran. 11 p 95 sqq. accuratius egi.

tales congruentiae in libris qui alioquin multum differant passim occurrant. Propter quae in similitudinibus constituendis nullam fere rationem habendam existimo lectionum huiusmodi:

C 20.10 uobis V+BG n : *nobis* — 33.2 *uestri* V+P^1 : *nostri* — 58.13 *uobis* V+BP^4 Dn : *nobis*.

C 20.16 *utemini* V+KTDM^1Fm (m^1g^3) : *utimini* — 51.10 *permouet* V+l (ps^1g) : *permouit* — ibd. *accendit* V+P^2M^2l : *accendet* — *J* 102.11 *demitte* V+GMFn : *dimitte*. Quin in Ω id scriptum fuerit, quod a dextra parte collocauimus, dubium esse nequit. Et si in hoc uel illo libro littera in Ω scripta in alteram huic simillimam transmutata est, hoc librarii suo impetu facere potuerunt neque necesse est has scripturas cum lectionibus V conectere. Itemque fortuitus mihi uidetur consensus qui est in C 51.21 *in sententia* V+P^1e ($m^1m^2pp^6r$) : *in sententiam*, quoniam, siue putamus in V hastam omissam esse siue non, in ceteris quidem codicibus eadem lectione imbutis hasta in Ω scripta incuria librariorum facile potuit excidere. Neque plus tribuendum est concordiae C 52.18 *paulum* V+$P^1P^2P^4$: *paululum*.

Proximum est, ut ueras congruentias consideremus. Et primum inquirendum est, num qui liber ad similitudinem codicis V textum prima manu scriptum correxerit.

P librum multas correcturas passum esse, quas cum V conspirent, iam Woelfflin animaduertit. Quo de his similitudinibus facilius iudicemus, conspectum omnium lectionum dabo, quae sunt a Pm. 2 ad similitudinem V redactae et eas lectiones, quae nusquam nisi in V locum habent, litteris diductis scribam.

V+Pm. 2.	Pm. 1.
C 20.2 *foret* (P^4n)	*forent*
6 i p s i	*ipsos*
9 *o fortissimi* (plerique libri)	*fortissimi*
10 *uobis* (BGn)	*nobis*
13 *habemus* (rell libri)	*habeamus*
14 *optastis libertas* (rell)	*optatis liberas*
16 *utemini* (KTDM^1)	*utimini*
33.2 *uestri* (P^1P^4)	*nostri*
35.1 L. C a t i l i n a s a l u t e m d i c i t Q. C a t u l o	*salatem dicit om*
51.4 *quae* (NKH)	*qui*
5 *et aduersa* (pler. libri)	*atque adu.*

10 *permouet* (l)	*permouit*
10 *accendit* (P^2M^2l)	*accendet*
24 *qui conuenit* (pler. codd.)	*quid conu.*
43 *ne quis* (KGl)	*neu quis*
52.12 s c e l e s t i s	*sceleratis*
18 i n t e n t i u s	*attentius*
24 *accersunt* (KGT)	*arcessunt*
29 *uotis neque* (pler. libri)	*uotis atque*
33 *atque hominibus* (BP^4m)	*aut hom.*
58.13 *uobis* (BP^4Dn)	*nobis*
J 14.11 n o n q u i t	*nequit*
21 q u o i u s	*cuius*
21 *ne ille* (P^1Ne)	*ut ille*
24 *neu iure* (P^1le)	*ne uiuere*
24.3 i n c e r t u m e s t	*incertus sum*
31.10 h o n o r e s n o n p r a e d a s V . . . r e s p̄ in mg Pm. 2	*honori non praedae*
31.14 *idem cupere* (lg^2)	*eadem cupere*
28 b e n e f i c i i m e m o r e m e s s e q u a m m a l e f i c i i	*benef. quam malef. memorem esse*
85.11 i m p e r a t o r e m (T)	*imperare*
14 *obiciuntur* (e)	*obiectantur*
29 *pectore* (B)	*corpore*
30 e g o m e t	*ego meis*
31 p a r u i (g^2)	*parum*
32 *profuerunt* ($P^2Γ'$)	*profuerant*
33 p r a e s i d i u m (g^2)	*praesidia*

Sunt igitur haud pauci loci, quibus est inter V et Pm. 2 insignis concordia. Quamquam non est praetereundum silentio, in multis horum locorum etiam alios libros, inter quos l integer imprimis nominandus est, easdem lectiones praebere. Est tamen alia res, quae nos uetat sumere Pm. 2 ipso V uel exemplari eius usum esse. Namque, id quod Hauler l. q. d. recte commonuit, et haec manus non solum orationes epistulasque sed omnem Sallustium correxit, et correcturae passim omissae, alibi ita sunt factae, ut consensus, qui inter P et V a principio erat, postea deleretur.

Ut locos eos omittam, quos Pm. 2 secundum V corrigere neglexit, eos, quorum correctura textus a V diuersus effectus est, quam-

quam eorum Hauler iam mentionem fecit, iterum proferre non puto alienum:

	V+Pm. 1	Pm. 2
C 20.2	*spectata* V *expectata* P	*probata*
15	*hortantur*	*hortentur*
51.19	*superuacuaneum*	*superuacaneum*
52.13	*formidolosa*	*formidulosa*
J 31.10	*proinde*	*perinde*
85.10	*aut aliud*	*ad* ss
49	*nemo ignauia*	*ignauia nemo*

Ex his apparet exemplar manus correctricis P non ab ipso fonte V repetendum esse sed textum exemplaris illius antiquissimi, unde ecloge orationum facta sit, ab exemplari Pm. 2 multo propius afuisse quam ab exemplari Pm. 1.

In ceteris libris Parisinis tales correcturae parce occurrunt, quas simul in P factas exempla supra collecta demonstrant. Correcturae enim hae sunt:

	m. 2.	m. 1.
C 20.6	*ipsi* P^2	*ipsos*
9	*o fortissimi* P^1	*o* om
10	*uobis* P^1P^2	*nobis*
51.4	*quae* P^2	*qui*
7	*neue* P^1	*neu*
10	*permouet* $P^1P^2P^4$	*permouit*
ibd.	*accendit* P^1	*accendet*
43	*ne quis* P^4	*neu quis*
52.26	*miseremini* P^2B	*misereamini*
J 24.3	*incertum est* P^4	*incertus sum*

Hae correcturae pauciores sunt, quam quibus de cognatione exemplarium V et manuum correctricium quidquam dici possit. Quod ad correcturas P^1 attinet, ea, quae de origine huius manus supra p 16 sqq. docuimus, his quoque lectionibus confirmantur. Namque obseruandum est tres correcturas in P^2 iam a prima manu scriptas extare. Duobus quidem locis, si Dietschio fides est habenda, in P^1 m. 2 correcturas fecit, quae ad V, non ad P^2 quadrarent: J 31.4 potentiae factionis Vn : *fact. pot.* — *85.2 quanto* VT l : *quo.* *Quae lectiones, additis iis paucis quarum p 18 mentionem fecimus, nos uetant sumere libris P^2 et P^1m. 2 idem exemplar fuisse. Quamquam e similitudine, quae est in maxima multitudine lectionum, satis elucet*

haec duo exemplaria proxime cohaerere. Et cum Σ, unde P^2 manauit, et V propinquitate conecti mox sim demonstraturus, consentaneum est inter P^1m. 2 et V multas esse similitudines.

3. Iam uero, cum correcturas librorum cum V congruas tractauerim, ad lectiones a 1. m a n u scriptas me conuertam, ut quae sint similitudines inter V et mutilos integrosque inquiram.

Primum V X stirpi fauet, Y respuit, atque id ita, ut non modo lectiones Γ, Γ′, Δ proprias uulgo aspernetur, sed etiam, ubicumque Ω in duas partes X et Y distrahatur, a X plerumque stet. Ex. c. has nomino lectiones:

C 52.2 *ipse mecum* V+XZH l s : *mecum ipse* — 6 *neque de sociorum* V+XZ l s : *non de soc.* — 26 *etiam* V+XKGH l s : *etiam* om — 58.2 *cuiusque* V+XG l s n : *cuique* — J 9.2 *certo* V+XN l : *certe* — 14.3 *secundum ea si* V+XN l n : *sed ea si* — 85.7 *labores et pericula* V+XGT l s : *et* om — 12 *atque ego* V+X l s : *at ego* — 23 *quasi lumen* V+X l : *quasi* om — 29 *hastas* V+XN l s n m : *hastam* — 102.7 *nostra amicita* V+XMF l : *am. n.*

Pro his aliisque eiusdem generis lectionibus paucae sunt eae, quas V cum Y uel parte eius communes habet. Has mihi adnotaui lectiones:

C 20.16 *utemini* V+KTDM^1F m : *utimini* — 51.12 *uitam agunt* V+Γ′ n m e : *u. habent* — 51.43 *ne quis* V+KG l : *neu quis* — 52.5 *si ita* V+M^2T e : *si ista* — 9 *penderatis* V *pendatis*[1] NM^2D (p m^2s^1) : *pendebatis* — 58.11 *impendit* V+M^2D l : *impendet* — J 10.1 *ego te Iug.* V+NΓ n m : *ego Iug. te* — 85.2 *quanto* V+T l (ζ) : *quo* — 26 *facundiam* V+GTD n s e (nonnulli ζ) : *facundam* — 45 *mehercules* V+T : *mehercule*

e quibus, si nonnullas casui facile tribuas, alias e communi fonte pendere uix negaueris. Et reuera libri, qui has similitudines exhibent, ii sunt, quos cum X crebro facere supra uidimus. Qua re adductus existimo has quoque lectiones huic ipsi stirpi deberi. Cum enim hi codices praeter Y exemplaria X alius aliud adhiberent, quae exemplaria lectionibus cum Y congruis plus minus insignirentur, necesse est eos quoque tales lectiones interdum exhibere.

Est enim inter V et libros X stirpis, siue sunt mutili siue integri, commercium lectionum insigne et quod necessario reuocetur ad fon-

[1] i. e. ˢ hasta *er* syllabam significans omissa est. Simul scriptura codicis V ostendit exemplar eius uncialibus scriptum fuisse, cum B et R sint permutatae.

tem communem. In quam rem uiri docti iam animum intenderunt. Ut Maurenbrecher[1] codicem P^4 lectionibus V fontis certe affectum esse contendit atque uerisimile iudicat idem in P^2 factum. Et Wirz[2], propterea quod J 85.29 *pectore*, 39 *incultum* in B pariter atque in V pro *corpore* et *incultis* reliquorum codicum legimus, conclusum uult, in exemplari libri B has lectiones supra scriptas extitisse ex eodem libro sumptas, unde B J 110, orationem Bocchi, accepisset. At similitudines id genus neque minores neque pauciores in P mutilo et l integro inueniuntur; neque in P^1 quidem desunt lectiones cum V congruae, quarum partem in Pl reperias, alias in ceteris codicibus X frustra quaeras. Id igitur statim elucet, ipsum X archetypum lectionibus abundasse, quae hic adscriptae essent ex exemplari quodam, quod esset V fonti multo similior quam Ω. Quae opinio nos non uetat sumere singulos quoque libros X stirpis simul ex ipso exemplari V codicis uel libro huic finitimo quod orationes contineret aliquid esse mutuatos. Sed ut de his rebus tutius iudicemus, omnes similitudines enumerabo, quas ita disponam, ut primum singulorum cum V similitudines adferam, deinde eas quas V cum familiis Π uel Σ uel aliis X stirpis congregationibus codicum habet communes.

A. **V+P** : C 20.15 *hortantur : hortentur* — 51.19 *superuacuaneum* (KG) : *superuacaneum* — J 10.1 *in regnum meum* (Dg^2q) : *in m. r.* — At V respuit lectiones P proprias C 51.4 *neglegeris* — 29 *uotis atque* — 58.11 *superuacuaneum.*

V+P¹ : C 20.14 *en* om V (m^2) ss P^1 — 51.21 *in sententia* (e m^1m^2 al.) : *in sententiam* — 52.29 *prospere omnia* (m^1) : *prospera* o. XZHls — 58.21 *cauete ne inulti* (KΓns) : *ne* om — J 14.3 *posse* V (m) *possem* P^1 : *posse me* — 21 *ne ille* (Ne) : *ut ille* — 31.18 *uobis : uos* — 85.13 *aut legere : et legere* — 17 *item* (Nm) : *idem.* — Accedit quod in P^1 utraque lectio et V libri et X stirpis in unum coaluit J 14.25 *mihi misero mihi* P^1 : *misero mihi* V+γ'e : *mihi misero* XNGHM² lsmn. Contra V frustra quaeris has lectiones P^1 peculiares: J 14.14 *beneficiis* (*suis* om P^1 ss m) — 102.9 *nostram* (*te* om P^1NHF s) — 10 *officiis* ss P^1M^2 om NHMF — 11 *p. r.* ss P^1 om Nm.

V+P²: J 85.32 *profuerunt* (Γ'm) : *-rant.*

V+B: C 20.10 *uobis* (Gn) : *nobis* — J 14.11 *regno meo* (HDFms) : *meo regno* — 85.29 *pectore* : *corpore* — 39 *incultum* (np^3) : *incultis.* Ceterum B librarium duobus exemplaribus usum esse, quorum esset alterum X, alterum eundem textum atque V haberet, lectio C 20.7 indicat: *boni atque strenui nobiles et ignobiles* V: *strenui boni nob. atq. ign.* Ω : *boni* om B, cetera eodem modo atque Ω exhibens. — At in V hae lectiones desunt: J 31.4 *ire obuiam* B (γ') — 6 *maiores nostri* B (HMFm), quibus locis in V eadem atque in ceteris libris: *obuiam ire* et *mai. uestri* tradita sunt.

[1] Jahresbericht p 291.

[2] Lacuna Iug. p 6 n. 2.

V+P⁴ : C 20.2 *foret* (n) : *forent* — 33.1 *patria* (KGΓ' nme) : *patriae* — 58.10 *tegit : teget* — J 85.35 *mollitiam* (GTn) : *-iem.*

V+l : C 51.10 *permouet* (ps^1g) : *permouit* — 22 *item de condemnatis* (p^5g^6r) : om *de* — 52.26 *miseremini : misereamini* — 34 *Statilio Gabinio* (p^5p^6g) : *Gab. Stat.* — J 31.14 *idem cupere* (g^2) : *eadem cupere* — 85.2 *illa* (p^1) : *illam* — 3 *simul* (*et* om) — 35 *nam cum* ($ps^1g^5g^7$) : *namque cum.* — Ad extremum, ne uideor quidquam omisisse, quod cognationem librorum V et l probaret, lectionem J 85.45 addam: *bonum habete bonum animum* l : *bonum animum habete* V ($p^1m^1g^1g^2g^3g^4g^6g^7s^1hr\mu$) : *bonum habete animum* Ω, quo loco in exemplari libri l *bonum* supra *animum* adscriptum uidetur, ut lectio in similitudinem V restitueretur (cf tamen *habete bonum animum* M²).

V+s : J 85.24 *fateor* (p^1) : *patior.*

V+n : J 31.16 *curam libertatis* ($m^2s^2g^4g\ \mu\gamma$) : *lib. curam* — 85.5 *beneficia in remp.* : *benefacia reip.* — 42 *omnibus flagitiis* : *omnibus* om.

V+m : J 10.2 *onerauisti* (cf *hon°erauisti* N) : *honorauisti* — 14.1 *affinium loco* : *aff. locum* (*in* ss P^1P^2) : *in aff. locum* — 85.41 *puluerem* om V ss **m**.

V+e : J 85.14 *obiciuntur* : *obiectantur.*

Addo J 85.26, ubi **ln** soli cum V *meque uosque* seruarunt; ceteri prius *que* omiserunt.

B. Ceteras cum V similitudines in duo genera discerno, prout **l** liber aut V destituit (a) aut cum eo consentit (b).

a. **V+Π** : J 10.5 *amicior* (NG) : *amicitior* — 31.10 *proinde* (Nme) : *perinde* — 21 *uiro* V+P(M^2F) *uiros* P^1Ns : *uirum* — 85.49 *nemo ignauia* (P^4) : *ign. nemo.*

V+Σ: C 51.33 *ut is in* V+P^2BK (*uti is in* GΓlsn) : *ut in* : *ut in* (*is* ss) PP^1P^4 (*uti in* Nme) — 52.33 *atque hominibus* V+

BP^{4}m : *aut h.* — 58.13 *uobis* V+BP^{4}D : *nobis* — J 85.3 *maximo uestro beneficio* V+P^{2}BTs : *m. ben. uestro.*

V+PΣ : J 102.5 *atque illum* V+PP^{2}B : *et illum* (l uacat) — 9 *nunc quando* V+PP^{2}Bm : *n. quoniam* P^{1}P^{4}Ylsn — 10 *multa atque oportuna* V+PP^{2}BG : *atque* om P^{1}P^{4}Ylsnm.

b. ***V+Πl*** : C 51.27 *ignaros eius* (ΠNKlsm) : *ign. ciues* — — 52.27 *conuertat*(Πl) : *conuertatur* uel *uertat* (*ur*) — 33 *uero* (ΠP^{4}l) : *uerum* — J 9.2 *en* om (Πlg^2). — Tum alter librorum Π cum l coniunctus lectionibus V fauet:

V+Pl : C 33.2 *miseriti* (NM^{2}Te) : *miserti* — 35.3 *possem et* (Γme) : *p. sed* uel *p. sed et* — J 85.27 *praedicent* (GMFs) : *praedicet.*

V+P^{1}l : J 14.24 *neu iure* (e): *ne uiuere*, ad quem locum alterum quamquam dubitanter adicio C 33.1, ubi *uestri* in VP^{1}P^4 certe traditum est, in l *nostri* in rasura extat, ut suspicari liceat *uestri* a prima manu scriptum post deletum esse.

V+Σl : C 51.10 *accendit* (P^{2}M^{2}l): *accendet* — 41 *ego hanc causam* (BP^{4}GHls) : *hanc ego c.* — 58.12 *aggredimini* (P^{2}P^{4}Gl) : *aggrediamini* — J 102.6 *ad hoc p. r. iam a principio inopi melius uisum* (ΣHls, *inopi* om Γ, uacat P).

Plurimis autem locis cum V se consociarunt Pl accedentibus familiae Σ aut omnibus aut nonnullis, cuius consensus exempla haec enotaui:

V+PΣl : C 35.3 *non possem* PZHlse : *non* om — 51.42 *maior illis* PP^{4}Gl : *maior in illis* — 52.4 *maleficia* PΣls : *malefacta* — 20 *si ita res esset* PΣYlsn : *res* om P^{1}Tme — 25 *depre(he)nsis* PBKGHγls : *adpr.* — 33 *iterum* PBKGls : *iterum iam* — 36 *ego ita censeo* PBl : *ita c. e.* — 58.5 *quo loco* PBP^{4}lsn : *quo in loco.* — J 9.2 *et populo rom.* PBKGHγls : *populoque rom.* — 14.9 *uersabitur* PΣGlse : *uersabimur* — 24.10 *me manibus* PBP^{4}Gls : *me ex man.* — 31.12 *et idem* PP^{2}BGlsn : *idemque* — 19 *ad remp.* PP^{2}Bl : *in remp.* — 22 *alterna* PP^{2}Bln : *aeterna* — 85.10 *mutare* PBT *putare* l : *mutari* — 12 *et acta* PBl : *et* om — 36 *alia* PP^{2}BGls : *talia* — 40 *diuitiarum esse* PΣln : *esse* om — 47 *aut in proelio* PBP^{4}Glsn : *aut* om — ibd. *meque uosque* PP^{2}BGlnm : *me uosque* — 102.5 *laetitia nobis* PP^{2}BHl : *n. laet.* — 9 *placuit* PP^{2}BKGHMFlsm : *placuisse* P^{1}N *complacuit* rell — ibd. *et uim* PP^{2}BGHls : *et* om.

Haec exemplorum copia nos docet omnes codices stirpis X lectionum V participes esse et gradu, non genere cognationis differre. Primum enim cognationis locum P et l occupant, deinceps B sequitur, tertio autem loco reliqui pariter fere collocati sunt. Fit tamen interdum, ut V non ab iis ipsis libris qui cum eo maximas exhibent similitudines, PBl dico, stare sed in contrariam partem transire, cuius rei exempla praeclarissima haec sunt: C 20.4 *illa* semel PBΓ'lm: *illa bis* V+rell — 51.5 *atque aduersa* Pl: *et aduersa* V+rell — 10 *coniuratione* Pl (NKTMe) : *coniurationi* V+rell — 24 *quid conuenit* PBGln : *qui c.* V+rell — 58.11 *pro potentia paucorum pugnare* PBGHγls : *pugnare pro pot. pauc.* V+pler. — 17 *in proelio* (*his* om) BGHγls : *in proelio is* V+pler. — J 10.7 *quia aetate* Pl (KGHγ's) : *qui aet.* V+rell — 34 *his ergo* ΠBGΓ'lnm : *his ego* V+rell — 85.11 *sibi* om PP^{2}Bl : *sibi* V+P^{2}P^{4}NKs — 40 *laborem uiris* PP^{2}Bls : *uiris lab.* V+rell.

Propter quae omnia id confirmatur, quod antea suspicati sumus, iam in X extitisse lectiones exemplaris cuiusdam cetera ignoti sed quod ad V fontem propius accederet (Ψ siglo in sequenti parte disputationis utar), quarum lectionum partim in hoc, in illo alias irrepsisse. Neque enim codices X ex uno exemplari excripti erant, sed ex archetypo X multa nata erant exemplaria, quae multis modis inter se commixta textum redderent disparem. Cf quae de hac re supra p 21 sq. disputauimus.

Summa uero huius disputationis ea est, quod praeter Ω et V tertium cognouimus exemplar, quod sui iuris sit, quodque, cum propter dispares lectiones Ω et V in suspenso uersemur, haud raro rem diiudicet. Namque in promptu est, lectionem duobus testibus probatam i n u n i u e r s u m praeferendam esse ei, quae uno testimonio nitatur. Quocirca, quotienscumque consensus est inter V et partem quandam X siue Π siue Σ siue PΣ, hanc lectionem, nisi aliis causis ea sit uetita, recipiendam existimo. Sed cautius iudicare necesse est, ubicumque lectiones V non nisi in uno codice X reperiantur. Nam praeterquam quod is consensus inde pendere potest, quod alter codex ab altero hausit — id quod in B factum esse uerisimillimum iudico — nonnullae similitudines, licet in utroque libro eaedem causae eas creauerint, tamen fortunae, non consensui exemplarium deberi uidentur. Huc refero ex. c. C 58.21 *cauete ne inulti* V+P^1 al. — J 85.32 *profuerunt* V+P^2 al., alia id genus.

4. Restat, ut paucis absoluamus, num qui liber etiam V fonte usus sit. Per se quidem credibile est, libros P^2 et B Iug. 110, quod

caput in fine Iug. addiderunt, ex libro orationes continenti accepisse. Et si considerabimus, quanta sit in hoc capite similitudo V et P^2B et quam dispares lectiones in multis integris tradantur, haec opinio uix est refellenda. Sed ipsae lectiones loquantur:

J 110.2 *indigus* V+P^2B : *indigui* — 3 *aliquando pretium* V+P^2B ($m^2pp^1p^5g^1rqh\mu$) : *pret. aliqu.* — 3 *apud meum animum* V+P^2B : *ap. an. meum* pler. integri : *meum* om **m^2q** — 3 *carius est* V+P^2B : *c. habeo* — 4 *quoad uiues* V+integri : *q. uiuis* P^2B — 4 *numquam tibi* V+P^2+pler. : *tibi* om B (cf *numq. redditam gratiam tibi* **s^2**) — 5 *flagitiosum est* V+P^2B : *est* om **s** (m^2g^1 alii) — 8 *meque uosque* V+B : *m. uobisque* P^2+integri.

Quinquiens igitur P^2 et B coniuncti cum V contra plerosque libros faciunt, idque ita, ut de fortuito consensu non liceat cogitare. Et dissimilitudo unius loci: *uiues* V ~ *uiuis* P^2B minoris est. Accedit quod alter librorum suo quisque loco cum V consentit et a V discrepat. Nec tamen hae discrepantiae tales sunt, ut similitudines quas memorauimus aequent. Contra facillime explicantur: in B neglegentia librarii haud insolita *tibi* excidit, P^2 autem correxit *uosque* mendum, e quo opinio de communi origine V et B nostra non minimum augetur. Quodsi constat P^2 et B in hoc capite excribendo V fonte usos, quid impedit, quin etiam in aliis capitibus quae sunt in V eius lectiones excipere potuerint? Cuius rei in P^2 nulla certa uestigia repperi, sed, si recte intellego, similitudines V et B insignes capitis 85 facilius explicamus huic opinioni indulgentes.

PARS II

DE TESTIMONIIS VETERUM SCRIPTORUM

1. Nullum latinae prosae orationis scriptorem auctores imperatoriae aetatis, historici grammatici ecclesiastici, testem saepius adhibuerunt quam Sallustium, quem ne Cicero quidem aequat. Namque etiamsi loci Ciceroniani, qui apud eos leguntur, maiorem numerum efficiunt, tamen magnitudinem orationum Ciceronis — nam ceterorum operum uerba rarissime adferuntur — et operum Sallusti comparantibus Sallustius hac in re princeps nobis est nominandus. Inde ab primo post Chr. saeculo usque ad exitum imperii Romani scripta eius uulgo laudant, reprehendunt raro, semper adhibent, ut aut sententias exornent aut rerum narratarum fidem augeant aut res grammaticas illustrent: sescenties apud eos et tota enuntiata et enuntiatorum partes maiores minoresue et singula uerba e Sallustio decerpta reperias. Neque aliter in medio aeuo ad Sallustium uiri docti refugiebant, cum temporibus Carolingorum et humanistarum studia rerum antiquarum reuiuescebant. Non modò opera Sallusti identidem transcribebant, sed etiam textui constituendo multum operae dabant, ut et plura exemplaria compararent et testimoniis ueterum uterentur. Accedit quod inde ab saeculo IX ii qui latina lingua scribebant — ut uerbis utar Vogeli — »Sallusti locutionibus tamquam luminibus orationis uti» amabant. Cf quae de hac re accuratissime disputauit Vogel[1].

Testimonia recentioris aetatis omittam, ea praecipue causa adductus, quod propter ipsam aetatem eorum, quae uetustissimos codices Sallusti non superat, nihil noui ad textum restituendum ex iis promitur. Quanto maior uis tribuenda est testimoniis scriptorum aetatis imperatoriae. In quibus ante oculos ponuntur uerba Sallusti eo modo tradita, quo scriptores illorum temporum ea in suis exempla-

[1] Acta sem. phil. Erlangensis uol. II p 414 sqq.

ribus legebant, si modo licet confidere et hos scriptores uerba a Sallustio usurpata diligenter excripsisse neque ea ad arbitrium quamuis leuiter mutasse et ipsum textum horum scriptorum his de quibus agitur locis recte se habere. Neque igitur mirum, si iam multos annos docti · iri summum studium, operam maximam conferunt, haec testimonia undique colligentes et cum codicibus Sallustianis comparantes. Etiam hac in re primus laudandus est Dietsch, qui hoc quoque fonte ad Sallustium recensendum uberrime usus in editione sua thesaurum parauit testimoniorum et ditissimum et optimum; neque uirtus gloriaque eius imminuitur, si studiis laboribusque in antiquos scriptores edendos posteriorum ut in plerisque rebus ita in hac multa clarius perspecta sunt et correcta. Post Dietschium Nitzschner[1] testimonia denuo collegit et cum codicibus Sallustianis comparauit, neque tamen ad crisin multum profecit, quoniam quidem magis bonitatem singularum lectionum arbitrio ponderauit quam in rationem codicum Sallusti et testimoniorum accurate inquisiuit. Tum Vogel[2] aliis praeeuntibus e multis scriptoribus et imperatoriae aetatis et medii aeui imitationes Sallusti collectas sagacissime tractauit.

Testimoniorum igitur duo genera sunt, prout antiqui scriptores locutiones uel sententias aut imitabantur aut uerbum pro uerbo reddebant. Quod discrimen in gradu, non in genere situm est, neque facile ubique perducitur. Quamquam mos est ueteribus scriptoribus in uerbis stricte reddendis auctorem quem adhibebant nominare, tamen eam consuetudinem interdum aspernati uerba ita adferunt, ut in incerto relinquamur, utrum uoluerint uerba uere excribere an tantummodo imitari. Et apparet hoc discrimen, quamuis tenue uideatur, maximi tamen momenti esse ad res quas tractamus criticas iudicandas. Id enim agitur, ut cognoscamus, qualia fuerint exemplaria Sallusti, quae in manibus ueterum hominum uersabantur. Quod non negauerim etiam ex imitationibus elucere, cum hoc quoque genere testimoniorum doceamur, quid scriptor quidam in suo Sallustio legerit. Nec tamen uis imitationum eadem est atque ceterorum testimoniorum. Namque uera testimonia ueterum scriptorum, siue nouas proferunt lectiones siue iam probatas tuentur, aeque ualent neque

[1] De locis Sallustianis, qui apud scriptores et grammaticos ueteres leguntur (Diss. 1884).

[2] Ὁμοιότητες Sallustianae (Acta Sem. Phil. Erlangensis uol. I 313—365). Quaestionum Sallustianarum pars altera (Acta Sem. Phil. Erlang. uol. II 405—448).

minoris aestimanda sunt, quam testimonia codicum Sallustianorum, imitationes autem nisi lectiones iam cognitas suo pondere augere non possunt, ut, si duae pluresue lectiones se aequant, res iis diiudicetur. Praeterea imitationes e uerbis locutionibusque quae Sallustius usurpare amabat uulgo constant; et apparet hoc genus imitationum, cum ad certos locos aptari nequeant, nullam uim habere lectiones suadendi aut dissuadendi. Rarius imitatores totas sententias imitabantur, neque tum eas uerbum ad uerbum reddebant sed suo quisque arbitrio transformabant et uoces quasdam omittentes et alias addentes et alio modo sententias mutantes: colorem sententiarum imitabantur, uerba non excribebant. Quare maximopere est cauendum, ne nimis iis confidamus in lectionibus Sallusti decernendis. Nec tamen haec res impedit, quin tales imitationes singulis locis nobis uiam muniant textum emendandi. Quod Vogel 7 exemplis optime probauit: C 52.35; 55.6; 61.2 — J 70.2; 72.2; 79.1; 85.29. Videas Vogeli commentationes I pp 322, 347—8, 359—363, II 409 not 1, 411 not .4, 444—5.

At alia est difficultas in iis locis, quibus scriptores profitentur se mera uerba Sallusti reddidisse. Quaeritur, utrum ex exemplari quod ante se habebant uerba excripserint an ex memoria exponere satis habuerint. Quod plurimi interest ad fidem uerbis scriptis dandam. Neque enim ratio uerba liberius adferendi ab imitationibus multum differt. Sed uereor, ne haec res numquam ita ad liquidum perduci possit, ut certe contendere audeamus hunc scriptorem uerba e memoria deprompsisse, illum ad exemplar reddidisse.

Ceterum nobis memoria tenendum est, uerba testimoniorum, cum codicibus per longa tempora tradita sint, prorsus iisdem periculis obnoxia esse atque ipsum textum codicum Sallustianorum. Et nouum accedit periculum, propterea quod librarii in testimoniis excribendis textum facile corrigere potuerunt, ut ad eum, qui in codice quodam Sallusti extabat, quadraret. Quod periculum eo maius est, quo longius libri ab antiquitate recedunt.

Multae igitur difficultates nobis occurrunt in testimoniis aestimandis, quae omnes nos monent, ne iis nimium tribuamus, ne libros Sallustianos minoris faciamus.

2. Non necesse est, quotienscumque codices quidam Sallustiani cum testimoniis consentiant, continuo concludamus, lectiones alteram ab altera pendere aut a communi fonte originem ducere.

Fieri etiam potest, ut concordia sit fortuita. Quamquam difficillimum est utrumque genus certis terminis circumscribere, tamen ipsa indoles multarum similitudinum nos uetat iis multum tribuere. Ut si J 54.6 apud Probum et in libris Sall. $Bp^6g^7s^1h$ lectio *interfecit* pro uulgari *interficit* inuenitur, quis ausit contendere hunc consensum in uera causa, non in fortuna positum esse? Et sic credo nobis iudicandum esse de multis earum lectionum, quas s i n g u l i s locis unus uel pauci codices Sall. cum testimoniis communes habent, si modo hae lectiones librariorum aut neglegentiae scribendi aut consilio mutandi facile possunt deberi. Cuius generis mihi uidentur esse hae lectiones: C 54.6 *eo illum magis* Augustinus+p^1: *eo magis illum* — J 1.3 *ceterasque artes* Sacerdos+P^4 : *aliasque artes* (cf C 10.4) 13.4 *fugit* Nonius+pg^6 : *profugit* — 18.11 *quae proxima* Diomedes+g^5 : *q. proxime* — 19.4 *Hispania* Arusianus+m.[2] : *Hispaniam* — 48.3 *fere* Nonius+F : *ferme* — 89.7 *gulae irritamenta* Priscianus+P^4 : *irritam. gul.* — 114.2 *certari* Diomedes+P^1] : *certare.*

At constat plerisque locis concordiam, quae est testimoniis cum parte quadam librorum Sall., aliquo modo cohaerere.

Lectionum consentientium duo genera sunt: aut eae ad communem fontem reuocandae sunt aut lectiones codicum a testimoniis pendent et contra.

Priusquam prius genus similitudinum, quae uerae sunt similitudines, de altero genere pauca dicam.

Ut supra monui, concordia codicum Sall. et testimoniorum ita potest explicari, ut in testimoniis textus in similitudinem libri cuiusdam Sallustiani sit redactus. Quod quando factum sit, certis argumentis non licet probare. Multa huius generis exempla non puto inueniri. Sed suspicionem retinere non possum, quin, cum eaedem 'uariae lectiones' inueniantur in codicibus et Sallustianis et scriptoris cuiusdam Sallusti uerba adferentis, hic consensus ita effectus sit, ut librarius lectionem sui exemplaris Sallustiani in hunc scriptorem introduceret. Inspicias uelim ex. c. hos paucos locos. In J 6.1 codices Sall. Xm *esset* pro *esse* exhibent, eodemque uitio libri Donati s. XV TCV laborant Andr. I 38; in C 11.7 pro uulgari lectione *fecere* in libri Nγ *facere* extat, itemque libri Priscianei (III p 341 K.) inter has duas lectiones diuisi sunt. C 56.3 codex F Serui grammatici cum libris Sallustianis *aut lanceas* praebet, cum in reliquis libris *et lanceas* extat; J 10.1 *et sine spe* Eugraphi libri excepto α, qui codices Sallusti secutus *et* omisit, itemque α ordinem uerborum *regnum meum* cum libris Sall. VPD seruauit, in ceteris autem codicibus et Sall. et Eugraphi haec uerba contrario ordine tradita sunt. Atque haud scio an inter haec exempla numeremus C 7.4, ubi codices Sallusti et Vegeti consentiunt prorsus easdem 'uarias lectiones' exhibentes:

Sall.		Veg.
per laborem usu militiam	P^1P^2BNKG Γ ln	+ MA (*militia*)
» » *usu militiae*	P	
» » *usu militiae*	T	
» *labores usum militiam*	M^2	+ Qπ
		+ *laboris* δ PG

Quae similitudo mihi maior uidetur quam ut eam fortuna factam dicere audeam. Nonne, cum idem scriptor eadem uerba Sallusti bis terue adferens paulum uariauerit, hae dispares lectiones eodem modo interdum explicari debent? Non dico omnes discrepantias hac uia tollendas esse, sed existimo hanc explicandi rationem non omnino esse omittendam.

Multo certius nobis licet progredi, quaerentibus num quae lectiones codicum Sallustianorum a testimoniis pendeant, quoniam ipsi librarii hac in re nobis uiam patefecerunt.

Duo sunt grammatici, quos librarii codd. Sall. auctores nominant, cum lectiones ab exemplari uel exemplaribus suis discrepantes commemorant.

S e r u i auctoritatem libri P^1 et P^2 uel potius eorum commune exemplar adhibet in lectione C 25.2 *saltare* probanda. In utroque codice item ut in ceteris libris stirpis X *cantare* traditum est, sed in margine P^1 adscripsit: 'saltare debet legi teste Seruio in commentario Virgilii' et in P^2 Seruium testem eiusdem lectionis productum esse Dietsch dicit.

P r i s c i a n o auctore usi multi libri C 1.1 *omnis* accusatiuum pro *omnes* seruant. Et g^4 integer C 53.1 'monet', ut ait Dietsch, 'Prisciani auctoriatate *senati* scribendum'. Tum J 14.3 F mutilus, qui cum plurimis codicibus Y *sed ea si* prima manu scripsit, in margine haec adnotat: 'alia litteratura scdm priscianum *scdm ea uti debetis uterer*'. Alias certas lectiones ex eodem fonte manantes has agnosco: C 56.5 in plerisque codicibus Sall. *seruitia repudiabat cuius* recte traditum est, sed nonnulli (K paucique integri) singularem numerum insolitum in pluralem *quorum* mutarunt, tertia lectio *cuius rei*, quae in nonnullis integris recentioribus inuenitur, certe originem ducit a Prisciano (III p 184 K.), qui haec docet: 'c u i u s singulare ad rem

retulit, id est c u i u s r e i seruitiorum'. — J 22.1 *sed is rumor clemens erat* Priscianus (III p 353 K.) adtulit ut quae esset notio adiectiui 'clemens' demonstraret, et post adiectiuum sic explicauit: 'pro n o n n i m i u s'. Haec uerba explicatiua 'non nimius' in P^1 supra 'clemens' scripta sunt et in G in textum inserta, in quo haec leguntur: *rumor non nimius clemens*, quae eadem lectio etiam in **s**² integro occurrit *nimius* adiectiuo in *minus* deprauato. Tum uerisimillimum habeo, librum F, quem iam uidimus semel Prisciani auctoritate commotum textum correxisse, etiam J 45.2, ubi unus omnium codicum *hostis adesset* pro *hostes adessent* scribit, eundem sequi auctorem. Ceterum ad Priscianum procul dubio reuocandae sunt eae correcturae, quae J 49.1 in B et J 49.4 in **m** leguntur. Extant in B: *extenuata suorum consedit*, sed *suorum* in rasura m. 2 scripsit, ut principio in B eadem quae in P^2 scripta fuisse uideantur: *extenuata sue acie consedit*. Tum m. 2 supra *consedit* adpinxit *uel in* et insuper *acie* ~ *montem*, qua correctura haec lectio efficitur: *extenuata suorum acie montem insedit*. Et haec ipsa apud Priscianum (III p 321 K.) tradita sunt, cum ceteri libri Sall. *extenuata suorum acie consedit* praebeant. In **m** integro solo uestigium inest uerbi 1. coniugationis *conspicor*, quo Priscianus (II p 436 K.) aliique grammatici testantur Sallustium in Iugurthino usum: J 49.4 supra uulgarem formam *conspicitur* in libris traditam *a* uocalis scripta est. Neque enim ullo alio loco Iugurthino hoc uerbum usurpatum est, quare ubi collocanda esset haec 1. coniug. forma dubium esse non poterat. (Et Donatus Comm. ad Eun. II 3.93 hoc totum enuntiatum adtulit). Similiter si C 40.5 codices BD lectionem uulgarem *Roma* (*Romae* PG) correxerunt *ab* praepositionem addentes, Prisciani auctoriatem (II p 66 K.) iterum sequi mihi uidentur. Et haud scio an C 36.2 lectio paucorum librorum P^1Gg^3r et m. 2 NMp^1 accus. *condemnatos* tradentium uel corrigentium doctrinam Prisciani sapiat, qui haec scribit (III p 188 K., alibi): 'Sallustius in Catilinario: p r a e t e r r e r u m c a p i t a l i u m c o n d e m n a t i s pro c o n d e m n a t o s'. Quamquam facile concedo hanc falsam lectionem ab ipsis librariis excogitatam esse posse.

Quisquis hos quos commemoraui locos perlegerit, infitias ire non poterit, libros Sallusti et uetustiores et recentiores lectionibus Prisciani passim inquinatos esse. Et quod exemplis Priscianeis nunc comprobauimus, idem ad alios scriptores qui in manibus illorum temporum uersabantur pertinere debere, quis neget? Sed ualde doleo,

huius rei nulla tam certa exempla ex aliis scriptoribus sumpta nobis praesto esse. Equidem mihi persuasi, multas 'uarias lectiones' supra scriptas aliasque lectiones singulorum codicum ita extitisse. Nonnullas id genus nunc collocabo: C 5.4 *eloquentiae* libri: *loquentiae* Gellius+**s** (inter lineas scr.) p^5g^6 (eras *e*) — 10.5 *subegit* libri+Seru. ad Aen. IV 283: *coegit* Seru. ad Geo. I 463+**p** (ss) — J 6.1 *luxu(i)* libri: *luxuriae* Macrobius+ss **s**, in textu **g** — 19.2 *silere* libri: *tacere* Quintilianus+in mg s^1 — 45.2 *sequerentur* libri: *insequerentur* Fronto +Tm. 2 — 48.3 *gignuntur* libri: *nascuntur* Arusianus+M^2l — 73.8 *ducerent* libri: *ducere* Arusianus+*alii ducere* ss M.

3. Postquam haec praemisi, ad eas similitudiues codicum Sallustianorum et testimoniorum transgrediar, quas ad communem fontem reuocandas esse licet suspicari. Quo in genere similitudinum nobis inquirendum est, numqui codices ceteris saepius cum testimoniis consocient, et collatione omnium lectionum facta quae habenda sit genuina scriptura Sallusti eruere conabimur.

Primum eas lectiones tractabo, quas p l u r e s scriptores simul tradiderunt (A), tum de iis agam, quae apud u n u m scriptorem leguntur (B).

A. Apud p l u r e s scriptores hi loci extant.

1) C 2.8 quattuor grammatici Nonius (419.22 M), Donatus (ad Phorm. IV 2.15), Seruius (ad Geo I 3), Priscianus (III p 433 K.) nobis tradiderunt nec tamen in uerbi forma scribenda inter se consentiunt. Nonius et Priscianus *transiere* perhibent, apud Seruium *transigere* legitur, idemque Donatus certe scripsit, quoniam haec uerbi forma in omnibus eius codicibus inuenitur excepto uno deterioris notae (O s. XV), ubi *transierunt* traditum est; quam lectionem e codice quodam Sallustiano huc irrepsisse probabile iudico. Et mire accidit, quod hae duae lectiones *transiere* et *transigere* in libris quoque Sallusti locum habent, quamquam in maiore parte codicum tertia lectio *transegere* extat. Hae dispares lectiones inter codices et testimonia sic diuiduntur:

1. *transiere* Non.+Prisc.+KM^2me *transire* P^1 (*transierunt* m^2g^5).
2. *transigere* Don.+Seru.+N (*g* littera expuncta) GF
3. *transegere* rell codd. Sall.

Videmus igitur lectionem *transiere* — nam quin *transire* codicis P^1 culpae librarii debeatur uix dubium esse potest — in iis codicibus inueniri, quos ante demonstrauimus intima uinciri familiari-

tate: ut enim P[1] cum mutilis NK crebro, non raro cum M[2] congruit, ita ex integris **me** iis sunt familiarissimi. Ergo omnes hi codices hanc lectionem e communi fonte acceperunt (quem fontem, cum nobis saepius occurrat, Φ siglo significo), qui ab exemplari Ω aliquantum recedat. Quod autem ad alteram lectionem *transigere* attinet, ea, nisi fallor, tribus modis potest explicari: aut in *transigere* falsa scriptura pro *transegere* latet, ut — quod usu fit — uocales *e* et *i* permutatae sint, aut duae lectiones *transiere* et *transegere* quasi in unum coaluerunt, aut denique *transigere* uerus inf. historicus est habendus. Si primae opinioni fauebimus, non necesse erit similitudinis quae est inter Donatum et Seruium et libros Sall. aliam causam quaerere atque quae in fortuna sita est; quod tamen rei probabilitati repugnat. Immo uero — hae lectiones intime cohaerent, et ego quidem pronus sum ut existimem codices Sall. e testimoniis — utrum e Donato an e Seriuo an ex utroque, nihil ad rem — lectionem recepisse. Sed quocumque modo de hac re iudicamus, id constat, lectionem *transegere*, quae ab Ω uno commendatur, in peiore condicione esse quam duas ceteras; e quibus me iudice lectio *transiere* palmam defert, quoniam in tribus exemplaribus uetustissimis et quae sint omnia sui iuris certe tradita est: dico exemplaria Noni, Prisciani, tertium Φ. Quibus aliis causis haec lectio ceteris praeferenda sit, hic non locus est disserendi.

2) C 3.2 Gellius (IV 15.2), Sacerdos (VI p 445 K.), Charisius (I p 215 K.) consentiunt in indicatiuo *sequitur* scribendo et cum his faciunt mutili P[1]ZHTDM et integri **lme**, cum reliqui codices coniunctiuum *sequatur* falso praebeant. Ergo etiam hoc loco iidem fere codices, qui proxime, a ceteris dissident et ab antiquis scriptoribus stant.

3) Ibidem Gellius et Charisius uerba quae sequuntur nobis tradunt, ut Sallustius *auctorem* an *actorem* scripserit quaerentibus hi quoque scriptores sint consulendi. Et Charisius *auctorem* certe scripsit, sed codices Gelli alteri ab alteris discedunt, ut plurimi *auctorem*, duo (RV[3]) *actorem* exhibeant. Si Hosium editorem sequemur, qui *auctorem* recepit, hunc habebimus conspectum lectionum:

auctorem Gell.+Char.+PBP[4]H (multi integri): *actorem* P[1]P[2]Y lsnme. Unde sequitur, ut libri illi quas supra nominaui suam cum testimoniis societatem hic deseruerint. Cum in Ω *actorem* traditum uideatur, itaque duo uel potius tres testes — nam *auctorem* quod est in PBP[4]H crediderim neque e Gellio neque e Charisio ortum esse sed fontem Ψ redolere, de quo in cap. IV partis I plura diximus — contra

unum stent, res iudicata est. At imitatio Aureli Victoris uim lec-
tionis *actorem* auget: legimus enim Caes. 20.3 'tantum gratia docta-
rum artium ualet, ut *scriptoribus* ne saeui mores quidem ad memori-
am officiant; quin etiam mos huiuscemodi ipsis (sc. scriptoribus)
gloriae, execrationi *actoribus* est'; quae uerba ad hunc locum Catilinae
spectare est certissimum. Quae cum ita sint, cogimur in hac re 'non
liquet' dicere.

4) C 5.4 *satis eloquentiae, sapientiae parum* Gell.(I 15.18)+Sidon.
Apoll. (Ep. 9.8)+Prisc. (III p 85 K.) +pler. codd. Sall.: *sat. el. parum*
sap. GH MFm.

Nulla igitur est dubitatio, quin Sallustius h. l. chiasmum, non
parallelismum adhibuerit; quod etiam imitatione Frontonis (p 155
Nab.): *parum eloquentiae* [*et* cum Hauptio delendum credo] *sapien-*
tiae nihil commendatur. Tum substantiuum *eloquentiae* a Sallustio
scriptum, licet Gellius dicat Valerium Probum 'legere coepisse et
a Sallustio relictum affirmauisse *loquentiae*', omnes codices Sall. et
testimonia consentiunt.

5) C 11.1 Arusianus (VII p 501 K.), Augustinus (Ciu. D. V 12),
Priscianus (III p 292 K.) omnes lectionem, quae est in plerisque
mutilis paucisque integris tuentur:

propius uirtutem Arus. + August. + Prisc. + XNM[2]DMFle:
pr. uirtuti rell.

6) C 11.7 codices Sallustiani inter *ne* et *nedum* uacillant, ut
omnes mutili H uno excepto *ne* habeant, plurimi autem integri et
inter eos uetustissimi **sn** — at **lm** cum mutilis faciunt — *nedum*
scribant. Et utramque lectionem iam in libris Sallusti saec. VI : ti
extitisse testis est Priscianus, qui, cum III p 100 K. *ne* scribat, al-
tero loco III p 503 K. *nedum* tradit neque id neglegentia commo-
tus, quando h. l. exemplum 'dum' particulae adfert. Tum *ne* apud
Sacerdotem (VI p 469 K.) inuenitur. Nimirum Sallustius *ne* scripsit.

7) Contra eodem loco neque Sacerdos neque Priscianus uer-
bum enuntiati a *ne* incipientis *obtemperarent* cognouit, quod uer-
bum compositum pro simplici *temperarent* traditum est in P[4]GI'
multisque integris (deficientibus antiquissimis **lsnme**).

8) C 25.2 Priscianus (III p 286 K.) cum omnium plurimis libris et mutilis et integris consentit *uiro atque liberis* scribendo. Sed asyndeton *uiro liberis*, quod P[1] cum duobus integris cognatis **mm**[2] seruauit, non modo Arusianus (VII p 473 K.) et Eugraphius (Comm. in Andr. I 170) sed etiam Fronto (p 110 Nab.), qui Sallustium aetate

proxime accedit, nobis tradiderunt. Alterum asyndeton, quod idem Fronto in adiectiuis, quae paulo infra leguntur, *graecis latinis* scribit, neque Arusianus neque libri illi Sall. habent, qui *et* coniunctione haec adiectiua coniungunt. Cumque in multis codicibus *atque* pro *et* legatur, tres lectiones quasi aemulae sibi impugnant:

1. *graecis latinis* Fronto.
2. *graecis et latinis* Arus. + XNM^2Tlnme. Accedit quod Haulero auctore etiam in palimpsesto Frontonis m. 2 *et* adiecit.
3. *graecis atque latinis* Y s.

Quid Sallustius scripserit, in tanta discordia codicum et testimoniorum iudicari nequit. Quamquam, si Frontonem testem uetustissimum secuti asyndeta et quod praecedit et quod subsequitur accipimus, magis probabile fit hoc quoque loco asyndeton copulatiuum συμμετρίας causa ab eo adhibitum esse. Sed cum extremum asyndeton psallere saltare Frontonis, cui copulatio et codicum Sall. respondet, et ipsum dubium sit, hoc quasi adminiculum uanum fit. Necessario igitur ad omnes testes consulendos et comparandos deducimur. Et uidemus, cum testimonia Frontonis et Arusiani se aequent, rem in eo sitam esse ad utram partem Ω accedat. At inopportune accidit quod codices Ω alii in aliam partem distrahuntur: est enim in X graecis et latinis, in Y gr. atque lat. traditum. Ergo iterum iudicium haeret, quoniam, quod sciam, non licet lectionem et praeferre, propterea quod cum X multi integri iique uetustissimi faciunt. Immo uero — dispares lectiones stirpium X et Y nos iure monent ut deliberemus, fueritne in archetypo Ω asyndeton, quod exemplaria stirpium suam quodque coniunctionem inserentia sustulerint. Quae opinio non paruum ea re confirmatur, quod iam in palimpsesti Frontonis alia manus idem et addidit. Ceterum cf J 95.3, ubi in iisdem adiectiuis similis uarietas adest: graecis et latinis PB : graecis atque lat. rell.

Denique Fronto, ut iam memoraui, asyndeton scribit tertium: psallere saltare, cum in Ω infinitiui et particula coniungantur. Cum tertius testis desit, utrum recipiendum sit, est in obscuro. Sed cui duobus illis locis qui praecedunt asyndeton placuit, is uix debet uereri hic quoque asyndeton restituere. At certum de his tribus locis restituendis iudicium nobis retinendum est, donec usum in uerbis et membris copulandis Sallusti penitus cognouerimus. Qua de re uide infra in cap. 2 partis III.

9) Haec lectio Frontonis in alia quoque re memorabilis est. Omnes codices stirpis X pro *saltare* uerbum *cantare* exhibent. Sed non modo Fronto sed etiam Seruius (ad Aen. IV 62 et Geo I 350) lectionem in Y integrisque traditam defendunt. Unde illa lectio *cantare* in X uenerit, si non certis argumentis attamen coniectura probari licet. In priore capite plus semel uidimus X et cum I integro et sine eo lectionibus imbutum esse, quae ex Ψ fluxerunt. In quo numero hanc lectionem esse arbitror.

10) C 53.1 *senati decretum* Donatus (Comm. Hec. III 2.21)+ Charisius (I p 143 K.)+Priscianus (II p 258 K.)+IIP^4lme : *senatus decr.* rell.

Eundem genetiuum *senati* duobus aliis locis Catilinae et singuli scriptores et iidem fere codices seruauerunt:

C 30.3 *senati decreto* Nonius (484.16 M)+PP^4,

C 36.5 *duobus senati decretis* Charis. (I p 22 et 539 K)+IIN le.

[Accedit fragmentum Bobiense: *duobus senati cousultis* quod uerisimile est huc spectare.]

11) J 6.1 apertum est Sallustium datiuo *luxu*, non *luxui* usum: illam formam tuentur Fronto (p 108 Nab.) et Diomedes (I p 341 K.) ad quos accedunt Ym, hanc reliqui codices: XNGTlsne. Siue in Ω utramque formam traditam siue Y secundum aliud exemplar correctum existimamus, id nobis animaduertendum est neque P^1 neque N a scriptoribus antiquis stare. Ceterum commemorare debeo, tertiam lectionem apud Macrobium (Exc. Paris. V 624 K.) inueniri *luxuriae*, cuius supra p 125 mentionem feci.

12) J 7.4 scriptores Arusianus (VII p 481 K.) et Donatus (ad Adel. IV 5.37), id quod expectandum erat, lectionem in plurimis codicibus traditam *Romanis imperator erat* tuentur, ut dilucide appareat alteram lectionem *Romanus*, quae legitur in M^2Ts aliisque integris et in P^4e inter lineas adiecta extat, nihil aliud esse nisi correcturam, qua datiuus insolitus uitetur.

13) J 10.1 *ego te Iugurtha* Donatus (Comm. Andr. I 1.8)+Eugraphius (ibd.)+V+Ynm: *ego Iug. te* XKGHDls.

Ut prior lectio certe tribus testibus comprobata Sallustio uindicanda est, ita pronomen *te* in aliis libris alibi collocatum documento est, hoc pronomen in Ω superscriptum fuisse, cui rei conuenit quod idem in **e** excidit.

14) J 12.5 iam in antiquis exemplaribus praepositio *in* ante *tugurio* adposita erat, si licet confidere codicibus Donati et Serui. Binis locis uterque grammaticus hunc locum Iug. adtulerunt.

apud Seruium utroque loco (ad Aen. I 409, VIII 337) *in tugurio* legimus, apud Donatum praepositio semel adiecta est (ad Phor. II 1.62), semel omissa (ad Andr. V 1.9). Codices autem Sallustiani, qui *in* addiderunt, pro numero ceterorum pauci sunt: mutilus M^2, integri nouissimi 8; praeterea m. 2 codicum P^1B *in* adpinxit. Quamquam haec talia sunt, tamen *in* spurium esse ipsa natura lectionis ostendit. Quae res nos monet, ne omnia quae in testimoniis legantur meliora habeamus. Sunt sane quaedam in testimoniis, quae deteriorem notam prae se ferant. Videas exempla quae p 148 sqq. collegi.

15) J 48.3 *milia passuum XX* Nonius (185.12 M.)+PP^2P^4KG lsn: *milia habens passuum XX* B (cf p 18): *milia XX passuum* Γ'e: *milia XX (passuum* om) Arusianus (VII p 455 K.)+P^1 m (*milia* om N).

Nouum exemplum illustrissimum consensus quem compluries probauimus esse codicibus P^1m cum scriptoribus antiquis, nisi forte putamus *passuum* in his excidisse, propterea quod in Ω superscriptum erat. Ego quidem crediderim has duas causas simul effecisse ut hoc substantiuum omitteretur: cum enim *passuum* in Φ deesset et in Ω superscriptum extaret, librarius, qui his duobus exemplaribus simul utebatur, facile poterat credere id in Ω post additum fuisse, ob eamque rem id consilio omisit. Atque satis causae nobis est cur existimemus id a principio in Ω defuisse. Quod si uerum est, cum *passuum* glossae uicibus fungatur, in tribus exemplaribus, quae omnia sui iuris sunt, legitur *milia XX*, in uno *milia passuum XX*. Ergo textus secundum maiorem numerum testimoniorum restitui debet, etiamsi constat Sallustium bis *passuum* addidisse (J 68.3, Hist. II 82 Maurenbr.).

16) Ibd. *humi arido atque arenoso* Hieronymus (in Amos I)+ Arusianus (VII p 477 K.)+Priscianus (III p 377 K.)+XNKHlnme: *humo arida atque arenosa* GΓs.

17) J 54.6 et codices Sall. et testimonia ualde dissentiunt. E codicibus Sall. P^1, comitante $\mathbf{s}^2$ integro, hac unica lectione praeditus est: *puberes interfici iubet*, omnes reliqui haec exhibent: *puberes interficit iubet*, praeterquam quod in B pf. *interfecit* (*e* littera expuncta et *i* superscripta) extat, ut *iubet* ad ea quae sequuntur referatur. Duo grammatici, Probus et Seruius, de *pubes impubes* praecipientes, huius loci uerba adtulerunt, quorum ille (IV p 19 K.) cum B *interfecit* scribit, hic (ad Aen. V 546) uerba eodem modo quo P^1 reddit, ab hoc codice in ea re dissidens, quod inter *puberes* et *interfici* adiectiuum *omnes* inseruit. Itaque, quoniam *interfecit* et *interficit* ad

unum spectant, bini testes utrimque stant, et cum illorum grammaticorum neuter his in rebus melior sit habendus, iudicium alio transferatur necesse erit. Et si quaerimus utra lectio ex utra facilius exorta sit, litteratura nos nihil adiuuat, quando in hac serie litterarum siue uncialium siue minuscularum *t* littera non difficilius excidere quam addi uidetur. Sin autem structuram totius periodi consideramus, non possumus non concedere *interfici* esse 'lectionem difficilorem'. Neque enim facile quis, cum omnia uerba quae praecedunt e 3. pers. sg. praesentis constent, allicitur ut *interficit* in *interfici* mutet. Quare, quantum scio, *interfici iubet* genuina scriptura Sallusti est habenda, i. e. *iubet* ἀπὸ κοινοῦ usurpatur.[1]

18) J 63.3 *altus* legitur apud Diomeden (I p 375 K.) et Priscianum (II p 527 K.) et in plerisque codd. Sallustianis. Sed animaduertendum est alteram huius participii formam *alitus*, quae est in M^2 et Tm. 2 et praeterea in satis magna multitudine integrorum, iam in antiquis exemplaribus extitisse, id quod idem Priscianus testatur, qui l. q. d. haec adnotat: 'in quibusdam autem codicibus etiam *alitus* inueniri'.

19) J 89.7 Priscianus (II p 147 K.) cum P^4 solo *gulae irritamenta* exhibet, cum Probus (IV p 209 K.), Hieronymus (adu. Iouin. II 10), Charisius (I p 106 K), omnes reliqui codices Sall. ordine contrario haec uerba tradant. Neque ego credo P^4 ab alio fonte atque reliquos codices haec accepisse sed sua sponte hic ut saepe ordinem uerborum transmutasse.

Exempla quae dedi non omnia eandem uim habent consensum, quo de agitur, codicum Sall. et testimoniorum confirmandi. Nihil enim de hac re cognoscimus ex iis exemplis, in quibus consensus aut ad maximam partem codicum, i. e. ad ipsum Ω, pertinet (5, 6, 7, 12, 16), aut fortuitus est (19; hic etiam sine ulla dubitatione collocanda sunt 14 et 18). Neque quidquam demonstrant exempla, in quibus propter ipsum habitum archetypi Ω discrepantiae codicum sunt exortae (2, 11, 13). Supersunt igitur haec exempla: 1, 3, 8, 9, 10, 15, 17. Quae si contemplabimur, duo genera distinguemus: prioris sunt ex. 3, 9, 10, ubi P constanter adest, alterius ex. 1, 8, 15, 17 continentis P^1 constans est membrum. In priore genere exemplorum P codicem sequuntur nonnulli codices stirpis X, unde concluditur lectiones horum codicum communes in exemplari X locum

[1] De usu huius figurae Sallustiano alibi agere in animo est.

habuisse. Et quoniam scimus X codicem multas lectiones e fonte V simillimo Ψ sumpsisse, has quoque lectiones *auctorem*, *senati* indidem deducere non puto alienum. Alterius generis lectiones, quae in P^1 inueniuntur, in X deerant easque P^1 aliunde sibi adquisiuit. Cumque in priore parte multas lectiones cognouerimus P^1 codici et peculiares et cum NK m e communes, et eae lectiones, de quibus nunc loquimur, in ipsis isdem libris reperiantur, consentaneum est has et illas lectiones ab eodem fonte Φ repetere. Quales sint hi duo fontes nescimus; id tantum constat, textum eorum ab exemplaribus ueterum scriptorum propius quam Ω afuisse.

B. Nunc ea testimonia percurram, quae apud u n u m scriptorem leguntur, ut in A) ita hic id spectans, ut et inuestigem quid Sallustius scripserit, et inquiram qui libri a scriptoribus stare soleant. (Lectiones quae sinistra collocantur in scriptoribus inueniuntur).

1. Festus.

J 29.5 *postero die* (p 458 Th. de P.) plur. codd. Sall.: *postera die* Pn (P^4m. 2). Quoniam igitur *postero* et apud Festum et in Ω extat, altera lectio repudianda est.

Valde doleo quod C 36.5 Festum (p 542 Th. de P.) de lectione de qua ambigitur nos nihil docet. Quaeritur enim, num maxima pars codicum ante *uti* (*ubi* P^1 falso) coniunctionem *atque* recte tradiderint. Haec uox illa quidem apud Festum deest, sed cum is id spectaret ut exemplum Sallustianum substantiui *tabes* proferret, ei satis erat eam partem enuntiati excribere, qua notio huius substantiui satis perspiceretur: *uti tabes plerosque ciuium animos inuaserat.* Quare si in paucis codicibus P^4 (?) **s** aliisque integris *atque* omissum est, fieri non potest ut haec habeatur uera similitudo Festi quae ab eodem fonte pendeat; sed licet cogitari testimonium Festi id effecisse, ut *atque* in illis secluderetur et in **e** eraderetur.

2. Probus.

1) C 15.5 *colos exsanguis* (IV p 15 K.)+*color exsanguis* **m** (cf *colore exs.* N *color ei sanguis* P^2) : *color ei(eius) exsanguis.*

2) 51.33 *uas aut uestimentum* (p 125) Ω : *aut uas aut u.* M^2nme

3) J 14.9 *heu me miserum* (p 256) **s** alii integri (cf *ẹheu* P^1||*heu* N) : *eheu me miserum* Ω.

Loci Catilinarii nihil ualent ad consensum euincendum, quoniam in 2) Probo ut notionem subst. *uas* illustraret satis erat ipsum substantiuum et quae sequuntur adferre, in 1) eam similitudinem, quam Probus et **m** gerunt *ei* omittentes, certe fortuitam esse lectiones codicum N et P^2 satis demonstrant, cum ob similitudinem litterarum concurrentium *ei ex*, ut in P^2 *ex*, ita in **m** *ei* excidit. Loco autem Iugurthino, ubi multi integri et manus correctrix P^1N cum Probo consentiunt, similitudinis communis causa fortasse debet constitui.

3. Fronto.

1) C 37.3 *sine damno habetur* (Rh. Mus. 54 p 168) $p^2m^1s^2γ$: *habetur sine damno* Ω, quam lectionem imitatio tuetur Exsuperanti 2.12 *quia egestas haud facile habetur sine damno.*

2) J 28.5 *inuidias* (p 109 Nab.) ΠNl: *insidias.*

3) 44.1 *a Sp. Albino proconsule* (p 109 Nab.) XK lsn: *Sp. Albini proconsulis* Yme.

4) 44.2 *spei bonae* XZlsn: *bonae spei* Γme.

5) 44.4 *temporis aestiuorum* (p 110 Nab.) XZHlsnm: *aest. temporis* Γe.

6) 44.5 *neque muniebantur* integri qγ : om Ω (uide supra p 89).

7) ibd. *permixti cum militibus* KZlsnme: *cum mil. perm.* Γ

8) ibd. *diu* PNHM^2s : *die* rell. codd.

9) ibd. *probra ea in illo* integri $g^1g^2g^3g^7$rqγ : om *ea* Ω.

10) ibd. *alia amplius* XNKlsnm : *amplius alia* Ye.

11) 45.2 *cibum coctum* M^1m^2pq : *coctum cibum* Ω.

Has lectiones inspicientes uidemus exemplaria Frontonis et Ω quinquies (3, 4, 5, 7, 10) consentire. Ab Ω autem dissident sed cum Π faciunt duo loci maxime memorabiles: 2 et 8. Tum e codicibus integris duo recentissimi **q** et γ tanta similitudine Frontonis excellunt, ut exemplar eorum Frontoni simillimum fuisse necessario iudicemus. Videas ex. 6, de quo plura p 89 dixi, et 9, ubi ad hos duos alii accesserunt. Ceterum **q** in ex. 2, 11, γ integer in 1 easdem lectiones quas palimpsestus Frontonis habent.

4. Gellius.

1) C 33.2 *miseriti* (XX 6.14) V+PNM^2Tle (*miseritum* D) : *miserati* GHM^1s *miserti* rell.

2) J 97.3 *die* (IX 14.26) Πl : *diei* rell.

Quod apud Frontonem obseruauimus, hic iteratur: Π imprimis cum exemplari Gelli congruit.

5. Sacerdos.

1) C 3.5 *reliquorum* (VI p 444 K.) pler. codd. : *reliquis* Pn.

2) 37.5 *alii per* (p 446 K.) P^{1}Mme : *alii qui per* Ω.

Extremus locus, non indignus qui cognationem codicum P^1 et **me** confirmet, simul testatur hos codices praeter Ω ex alio fonte hausisse, quem apparet eundem esse quem supra passim cognouimus (Φ).

6. Lactantius Placidus.

1) [C 52.5 *expergescemini* P^{1}M^{2}TMF: *expergiscimini*.]

2) C 61.4 *uiuus habuerat* (ad Theb. III 94) G (p^{5}γ) : *hab. uiuus*.

Prioris loci similitudine quamuis ad codices P^{1}M^2 pertineat nihil ad affinitatem probandam effici in propatulo est, neque plus alterius loci concordiae attribuo.

7. Nonius.

1) C 5.4 *cuius rei libet* (p 439.24 M.) ΠNTlsme : *cuius libet rei*. [Illi lectioni fauet Pseudosall. epist II 1.4 *quoius rei lubet*]

2) 11.3 *uenenis malis* (521.16 M.) pl. codd. : *malis* om M^{2}sγ.

3) 14.7 *existimarent* (433.18 M.) pl. codd. : *aestimarent* KGDMFs.

4) ibd. *frequentabant* me : *frequentabat*.

5) 23.1 *flagitiis atque facinoribus* (310.5 M.) pl. codd. : *atque* om Hγs.

6) 30.3 *senati decreto* (484.16 M.) PP^4 : *senatus d.*

7) 60.2 *a ferentariis* (554.25 M.) Ylsnme : *a* om XD.

8) ibd. *posset* BP^{4}Ylsnme : *possit* ΠP^2.

9) J 15.5 *postquam* (*uidet* om) Non. (306.4 M.) +ss **s** : *postquam uidet*.

10) 63.2 *et diuitiarum* (343.3 M.) pl. codd. : *ac diuitiarum* P.

11) 80.6 *Boccho* (353.33 M.) ΠYlsme : *Bocchi* Σn.

12) 85.29 *hastas* (554.13 M.) V+XNlsnm : *hastam* Y.

13) 85.31 *parui* (257.35 M.) V+Pm. 2 (+ g^2) : *parum* Ω.

14) 95.4 *pude(a)t an pigeat magis* (424.11 M.) ΠP^{2}NKl : *pude(a)t magis an pige(a)t* rell praeter: *magis* ss B.

15) 103.6 *ignota* (23.12 M.) pl. codd. : *ignorata* P^{4}DTm.

16) ibd. *munificus nemo* pl. codd. : *nemo munif.* P^{4}m.

Exemplar Noni cum Ω facit in ex. 2, 3, 5, 10, 12; etiam in 7, 8, 11 consensus adest, quoniam quod apud Nonium legimus in Ω certe extitit. Neque in ex. 1 aut 14 Nonius et Ω discedunt, cum uerisimile sit discrepantiam codicum Sall. inde effectam esse quod

uoces illae, quae in aliis libris alibi collocatae sunt, in Ω supra scriptae erant. Sed cum propter hanc dissimilitudinem codicum Sall. quid Sallustius scripserit iure haesitemus, testimonium Noni omnes scrupulos ex animis euellit. Reliquis locis, in quibus est inter Nonium et paucos codices consensus, non iidem codices constanter sed uel hic uel ille a Nonio stat, ut consensus potius a fortuna regi quam a fontium similitudine repeti uideatur. Ut integer **m**, qui cum **e** semel (4) cum Nonio conspirat, duobus aliis locis (15, 16) Nonium destituit. Superest ex. 13, ubi testimonium Noni lectionem Ω *parum* aspernatur et *parui* codicis V et manus correctricis P tuetur. Cum igitur *parui* non minus quam tribus testimoniis comprobetur — nam libros V et P m. 2 suum quemque fontem redolere priore capite ostendi — is qui ratione et uia progredi uelit *parui* in textum recipiat necesse est. Adde quod *parum*, si talis soloecismus in oratione Mari potest tolerari, ex *parui*, cum *id* pronomen subsequatur, haplographiae uia facillime explicatur.

8. Donatus.

1) C 20.4 *atque idem nolle* (Hec. I 2.95) pl. codd. : *idem* om M^{2}Tme.

2) J 1.3 *quippe quae* (Eun. II 2.10)+P^{4}ZM^{2}Dnme *quippe qui* P^1 : *quippe* PP^{2}BHTMFls.

3) ibd. *artes* (*bonas* om) Don.+TMFM^1 : *artes bonas* rell.

4) 110.4 *nusquam tibi* (Eun. IV 6.12) P^2+integri : *tibi* om B (g^{3}γ).

Ut ex. 1 omittam, in quo ualet inter Donatum et Ω consensus, in ex. 3 non existimo lectionem Donati quidquam commune habere cum paucis iis libris Γ qui eodem uitio laborant; quamquam non debeo silentio praeterire, haud paucos integros (m^{2}p^{3}p^{5}p^{6}gg^{2}g^{4}g^{5}g^{6}g^7 s^{1}s^{2}q) lectionem praebere cum illa nescio quo pacto cohaerentem: *bonas artes*. At utcumque haec res est, certe in ex. 2 Donato commercium est codicibus P^{1}P^{4}ZM^{2}Dnme (minimum discrimen quod est inter P^1 et ceteros e compendio scripturae pronominis pendet), ut in hac quoque lectione codicum P^1 eiusque adfinium communi idem exemplar Φ lateat. Difficilius uero est decernere utra lectio sit praeponenda: oratione Sallusti neutra neque uetatur neque commendatur. Si Donatus solus contra Ω staret, ne minimum quidem dubitarem Donatum reicere, namque eum in uerbis Sallusti adferendis immodica neglegentia usum esse constat. Cf A 14 aliaque exempla p 149 collecta. Sed quoniam scriptura eius testimonio non contem

nendo hic confirmatur, haud nescio an non sit cauti diligentisque editoris *quae* delere.

9. Charisius.

C 36.5 *senati decretis* (I p 22 et 539 K.) Π Nle : *senatus d.* De hoc loco uide A 10 (p 131).

10. Diomedes.

1) J 6.1 *cum omnis anteiret* (I p 341 K.) F (*gloria* ss) : *cum o. gloria anteiret* rell.

2) 114.2 *certari* (I p 399 K.) : *certare.*

Satis est has similitudines commemorasse, quae communem originem postulare nequeunt.

11. Arusianus.

1) C 13.2 *habere honeste* (p 451 K.) s^1 (*quas* ||| *habere h.*) : *honeste habere.*

2) 24.3 *primum* (p 513) pp^{3}p^{6}g^{2}g^{4}g^5 : *primo* Ω.

3) 37.5 *praestabant* (p 498) ΣGΓ′ne : *praestabat* ΠNKlsm.

4) 47.3 *abdicato* (p 451) XNKHTlsnme : *abdicatus* GΓ.

5) 51.4 *quae reges* (p 459) V+NKHγm : *qui reges.*

6) 51.21 *uerberibus in eos* (p 456) Ω : *in eos u.* V.

7) 59.5 *inermes* (p 459) pl. codd. : *inhermos* P *inermos* m (corr *es*).

8) J 14.9 *liberis tuis* (p 500) Ω : *tuis* om V.

9) 19.4 *proximi* (p 498) Pl : *proxime.*

10) ibd. *Hispania* m^2 : *Hispaniam* codd. praeter *Hispanias* Pls.

11) 41.7 *agitabantur* (p 458) Mm^{1}h : *agitabatur.*

12) *semet ipsa* (p 505) P^{1}Nm : *s. ipsam.*

13) 49.2 *belli* (p 492) Πl : *bello.*

14) 50.1 *digredi* (p 464) Ysnme : *degredi* XNl.

15) 61.1 *ad se* (p 466 et 485) HM^{2}TMFe (m^{1}m^2 al.) : *ab se.*

16) 79.2 *pleraque Africa* (p 481) P^{1}N+em. 2 : *pleraeque Africae.*

17) 84.3 *abnueret* Arus. (p 450)+*abuuere audebat* XNKHl : *negare aud.* GΓsnm.

18) 85.7 *et pericula* (p 460) V+XGTls : *et* om P^{4}Ynm.

19) 97.5 *escendere* (p 472) N : *ascendere* rell. praet. *scandere* P^1.

Primum inter Arusianum et Ω consensus certe adest in his ex.: 6, 7, 8, quo consensu dispares lectiones codicis V in peiorem condicionem rediguntur. Tum Ω procul dubio easdem lectiones habuit atque Arus. in ex. 4, 17, 18. Nam *abdicatus* multorum codicum librario debetur, qui structuram magis insolitam in usitatiorem mutauit; *negare* GΓ nihil aliud nisi glossa est quae genuinum uerbum extruserit; coniunctio *et* in altera stirpe codicum omissa propter haplographiam, praecedente syllaba *es* substantiui *labores*, uidetur excidisse. Deinde inter lectiones similes etiam 5 et 14 numero: hoc loco uulgarem permutationem uocalium *e* et *i* agnoso, illo autem dispares lectiones X et Y compendio scripturae certe debentur, quo compendio formam *quae* a principio significatam esse consensu V et Arusiani satis comprobatum existimo. Post quae si ad exempla me conuerto, in quibus codices Sall. uere discedant, uideo in nonnullis (1, 2, 10, 11) fortuna creatam esse similitudinem quae est iis codicibus cum Arusiano, in ceteris (3, 5, 9[?], 12, 13, 15, 16, 19) ueram cum Arusiano similitudinem profiteri codices, e quibus primum P^{1}N, tum Pl sunt nominandi.

12. Seruius Gr.

1) C 7.7 *memorare possum* (Aen. XII 230) P^{1}m : *m. possem.*

2) 20.2 *foret* (Geo I 260) V+P^4 (m^{1}g^3 al.) : *forent.*

3) 52.2 *longe alia mihi* (Aen. I 13) V : *l. mihi alia* Ω.

4) 52.29 *prospere omnia* (Geo III 456) V+P^{1}m^1 : *prospera omnia* uel *omnia pr.*

5) J 24.9 *scribo* (Aen. I 392) Ω : *scripsi* V.

6) 78.2 *pares natura* (Aen. I 111) p^{1}p^{3}p^{5}s^{1}g^{1}gg^{5}g^7 al. : *pari natura* Ω.

Bis (1, 4) P^1 lectione Ω neglecta cum Seruio congruit, bis (2, 3) V et Seruius contra Ω faciunt, semel (5) V solus contra Seruium et Ω stat. His omnibus locis non dubito quin textus secundum maiorem numerum testium restitui debeat. At alia res est in ex. 6, ubi lectioni Serui aliquot integri recentioris aetatis fauent. Si certe sciremus, hos integros recensionem a mutilis non pendentem hic profiteri, haec lectio iure postularet ut a nobis acciperetur. Sed huius rei ignari nos tutius agimus sumentes, propterea quod *impares magnitudine* antecedunt, *pari* in *pares* perperam immutatum.

13. Augustinus.

1) C 5.9 *paulatim mutata* (Ciu. D. II 18) m^2 (*in* ss) pg : *p. immutata* codd. pr. *imminuta* TDMFe.

2) 8.2 *existimo* (Ciu. D. XVIII 2) HT : *aestimo.*

3) 8.4 *qui fecere* Π (p^3s^1q) : *qui ea fecere.*

4) ibd. *quantum eam* MFn : *qu. ea.*

5) [14.1 *in tanta tamque corrupta* pl. codd. : *in tanta itaque tamque c.* P^2B].

6) 16.3 *torpesceret* (Conf. II 5) $p^5p^6g^1r\sigma$: *torpescerent.*

7) 51.9 *collibuisset* (Ciu. D. I 5) M^2 (ss *n*) m^2 (ss *n*) g^3 (ss *n*) q : *collibuissent.*

8) 52.20 *si ita esset* (Ciu. D. V 12) P^1Tme (m^2 al.) : *si ita res esset.*

9) 54.6 *illum* (ibd.) ΠP^4Zsme : *illam* $P^2B\Gamma'$lm (*illa*).

10) ibd. *sequebatur* e (hr) : *assequebatur.*

11) J 1.5 *multaque* (Ep. 153.22) pl. codd. : *multoque* P^4s+m. 2 P^1K *multumque* M^2nme.

12) 35.10 *o urbem* (Ep. 138.16) P^1G (cf *o* ss $HM^2m^1m^2$) : *o* om rell.

Plurima horum exemplorum eiusmodi sunt, ut ex iis de cognatione Augustini exemplaris et codicibus Sallusti nihil certi eruatur. Videas ex. 1, 2, 4, 9, 11, 12. Unum tamen (8) maxime insigne est, quippe in quo *res* substantiuum omissum sit et apud Augustinum et in paucis codcibus Sallustianis. Neque nunc admirationem nostram commouere debet, quod ii libri, qui cum Augustino consentiunt, sunt ipsi P^1mem^2.

14. Priscianus.

1) C 2.8 *horum ego uitam* Prisc. (II p 44 K.)+*eorum ego uitam* pl. codd. : *eorum ergo u.* Γ'.

2) 18.8 *quodni maturasset* (*Catilina* om) Prisc. (III p 49)+cf *quod Catilina nisi mat.* **n** : *quodni Catil. mat.* rell.

3) 51.15 *omnes cruciatus* Prisc. (III p 103)[1]+*omn. cruc. minores* pl. codd. : *minores cruc. omn.* M^2Tnme.

4) 56.4 *in Galliam uersus* (III p 514) NKnme (*ad in*) : *in* om XGHM^2TDM^1ls (*ad Gall. uers.* MF .]

5) J 10.8 *colite et obseruate* (III p 455) P^4TMFM^1n (multi integri) : *et* om XZDlsme.

6) 53.8 *repente gaudium* (III p 296) XZM^2lsnme : *repente* om $H\gamma^1$.

7) 84.3 *plebi* (III p 285) ΠN$M^2\gamma$lnme : *plebe* ΣKGTs (plerique intergi).

8) ibd. *militia* P^2P^4KGMFM^1lsnme : *militiam* ΠBNHM^2TD (alii int.).

[1] Non plura uerba a Prisc. adlata sunt.

9) ibd. *uolenti* $\Pi P^4NG\Gamma$lsm : *uolente* P^2BKHT *nolente* n.

10) 85.10 *homines ueteris prosapiae, multarum imaginum* (III p 221 et 365) V : *h. u. pr. ac* (*aut* P^2B) *mult. imag.* Ω.

11) 87.4 *laxius licentiusque* (III p 318) Ω : *que* om P^1 (ss al. m.)

12) 88.4 *gloriosa modo* (III p 310) pl. codd. : *modo* om M^2m, ss TD *gloriosa facta sunt* GMF.

13) ibd. *belli patrandi cognouit*] *copiam* om PB ss P^1P^2Tl : *copiam* reliquorum alii alibi addiderunt.

14) 100.2 *dextimos* (II p 95 et 98) XGTn+Pm. 2 : *extimos* PYls.

15) 110.2 *hercule* (III p 323) M^2s integri : *mehercule* V+P^2B.

16) ibd. *indigui* integri : *indigus* V+P^2B.

Plerumque igitur Priscianus et Ω consentiunt (ut in ex. 1, 3, 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13). Quodsi Prisc. in ex. 4 et 5 cum minore parte codicum falsas lectiones habet, uereor ne aut Prisc. his codicibus suas lectiones donauerit aut haec similitudo sit fortuita: uerba enim addita talia sunt, ut quiuis commentator uel librarius latinae linguae peritus ea per se ipse supplere potuerit neque ad eam rem ei opus sit auctoritate grammatici. Semel (10) Priscianus lectionem quam libri Ω omnes ad unum exhibent respuit et a V stat, id quod eo magis est obseruandum, quod is in J 110 ab eodem V eiusque comitibus P^2B bis (15, 16) distat. Denique commero

17) C 49.1 *sed neque pretio neque gratia* Prisc. (II p 539) :

n. precibus n. grat. n. pretio XNKM^2lsne
n. » » » » *premio* T
n. » » *precio* » *gratia* γ
n. gratia » *precibus* » *pretio* Hm
neque gratia ss G

Hoc loco iam uarius ordo uerborum nobis suadere poterat, ut suspicaremur unum trium membrorum glossam esse. Et e Prisciani uerbis satis elucet *neque precibus* in Ω additum fuisse ad subst. *gratia* explicandum. Nulla igitur est dissensio inter Ω et Priscianum.

15. Scholia Horatiana.

1) C 15.5 *modo citus modo tardus* (Serm. I 3.9)+$m^2s^1s^2g^1g^4$ al. : *citus modo modo tardus.*

2) 19.2 *Cn. Pompei* (Carm. II 17.18)+Gs^1g^1 al. : om *Cn.*

3) 20.11 *profundunt* (Carm. II 18.21)+Te al. : *profundant.*

De his similitudinibus fortuitis non opus est plura uerba facere.

Postquam locos percrutatus sum, ubi lectiones, quae apud unum pluresue scriptores antiquos traditae sunt, cum iis consentiant quae in parte quadam codicum Sallustianorum leguntur, ea quae repperisse mihi uideor paucis comprehendam.

a. Lectionum, quae apud scriptores inueniuntur, multae cum Ω consentiunt, aliae ab Ω distantes at in Π aut in P[1]N(K)me occurrunt, i. e. ab exemplaribus Ψ et Φ oriundae huc transmigrarunt, paucae in integris locum habent, quas liceat suspicari, cum integri contaminatione creati sint, codicis Ω alteriusque qui integer erat, huic alteri exemplari deberi.

b. In uniuersum igitur in textu restituendo haec lex debet ualere, ut eae lectiones quae in duobus pluribusue exemplaribus simul sint traditae, iis quae in uno tantum exemplari extent, siue hoc exemplar Ω est siue non, praeferantur.

c. Iam primis post Chr. n. saeculis exemplaria, quae in manibus legentium uersabantur, disparibus lectionibus abundabant. Sed quae exemplaria longius, quae minus ab Ω absint, propter paucitatem locorum qui in pluribus scriptoribus simul traduntur uix diiudicatur. Nam quod Maurenbrecher[1] dicit textum Prisciani non tantum a codicibus Sallusti distare quantum Gelli et Arusiani, id iis exemplis quae adhuc percensuimus non confirmatur: et in his et in illo et in ceteris scriptoribus similitudines discrepantiaeque se fere aequant.

4. Sunt autem lectiones apud scriptores traditae, quibus omnes codices Ω coniuncti aut indulgeant aut eas contemnant.

A. Paucae eiusmodi sunt, ut, cum duo tresue scriptores eiusdem loci uerba simul tradiderint, Ω aut cum uno scriptore contra alterum uel ceteros faciat aut solus stet contra eos consentientes. His locis ut textum restituamus eadem lex est seruanda quam nuperrime praescripsimus, ut lectiones maiore numero testium comprobatae in uniuersum meliores habeantur.

Nunc hos locos quam breuissime tractabo.

1) C 6.6 et Ω et Eugraphi Comm. in Adel. I 2.30 impf. *appellabantur* exhibent, qua concordia pf. *appellati sunt*, quod est apud Seruium ad Aen. V 758, refellitur.

2) C 11.4 scripturam Ω *euentus*, ab Exsuperantio confirmatam, auctoritas Augustini, qui Ciu. D. XVII 20 hunc locum imitatus *exitus* pro *euentus* scripsit, debilitare nequit.

[1] Jahresbericht p 202.

3) C 15.5 *color* formam codicis Ω cedere debere alteri nominatiui formae *colos*, quam Probus (IV p 15 et 23 K.) et Sacerdos (VI p 446 K.) docent a Sallustio adhibitam in promptu est, neque minus perspicuum ibidem chiasmum *citus modo modo tardus* in Ω et a Nonio (p 265.23 M.) traditum, ei ordini uerborum, qui est in Schol. Horat. ad Serm. I 3.9 *modo citus modo tardus*, esse praeponendum.

4) C 51.29 *ea populus laetari* Ω+Priscianus (III p 307 et 358 K.): *ea populus Romanus laetari* Arusianus (VII p 490 K.).

Romanus igitur Arus. ipse uidetur addidisse, siue quod neglegentia ducebatur, siue quod qui populus designaretur ostendere uolebat.

5) J 6.1 Fronto (p 108 Nab.) Macrobiusque (V p 624 K.) testantur Sallustium asyndeto copulatiuo usum: *plurimum facere, minimum de se loqui*, quod asyndeton *et* coniunctione interposita in Ω est deletum. Ergo ad ea exempla, quae p 129 sq. diximus, nouum accedit, in quo propter dissensionem codicis Ω et testimoniorum quaestio existit Sallustiusne asyndeton usurpauerit necne. Sed hic auctoritas scriptorum non est respuenda, ut confiteri cogamur, in Ω nimio studio asyndeta tollendi textum deprauatum. Cf quae in partis III capite 2 disputaui.

6) J 17.5 *arbori infecundus* Ω+Fronto (p 109 Nab.): *arbore i.* Arusianus.

Nimirum *arbori* genuina est scriptura Sullusti.

7) J 18.11 omnes codices Sall. concordant *proxime Carthaginem* tradentes, praeterquam quod g^5 solus *proxima* praebet. Et licet apud Arusianum (VII p 498) et Diomedem (I p 410 K.) adiectiuum *proxima* legatur, tamen huic consensui, qui est inter unum codicem et hos scriptores, non credo nimium esse tribuendum, eoque minus quod g^5 in nomine proprio scribendo, quod adiectiuo *proxima* regitur, neque Arusianum neque Diomedum sequitur, sed in hac re cum ceteris codicibus Sall. consentit. Nec tamen in hac una uoce scribenda Ω et testimonia differunt; dissensio eaque maior ad nomen *Carthaginis* pertinet, cum et Ω et Arusianus et Diomedes suo quisque casui indulgent. Uterque grammaticus, exemplis illustrans quem casum superlatiuus *proximus* regat, hunc locum Iugurthinum adtulit. Arusianus, postquam scripsit: 'proximus illi, Verg. Aen. V (320)' pergit: 'proximus illo', Sal. Iug. *proxima Cathagine Numidia appellatur*, idem in eodem: '*proximi Hispania Mauri sunt* (19.4)'. Item Diomedes loco quodam Ciceronis excripto 'proximus Pompeium sede-

bam' haec addit: 'sed et datiuo casui idem Cicero dixit ad Atticum 'propius grammatico accessi', Nepos inlustri (aliquid deest), Sallustius 'proxima Carthagini loca', quae uerba ad hunc ipsum locum Iug. spectare nemo non uidet. Id igitur constat exemplaria saeculi IV:i hoc loco uariis lectionibus laborauisse. Tertius casus in Ω traditus est: accus. *Carthaginem*. Tres sunt igitur casus, qui certant quasi ius domicilii postulare. Sed, nisi fallor, casus datiui, qui Diomedis auctoritate nititur, suo iure decedere debet, quandoquidem Diomedes substantiuo *loca* addito clare ostendit se sua uerba magis e memoria prompsisse quam diligenter excripsisse.[1] Ergo supersunt duo casus: ablatiuus Arusiani et accusatiuus codicis Ω. Ut ea difficultate, qua sumus impediti, liberemur, si consuetudinem orationis Sallustianae consulimus, nihil adiuuamur: *proxumus* enim acc. regere J 49.6 *latere quod proximum hostis erat* et Hist. IV 82 *qui proximi locos hostium erant* documento sunt, et casus datiui duo certa exempla extant: J 61.2 *Numidiae* et 78.2 *terrae*; ceteris autem locis utrum dat. an abl. a *proximus* pendeat forma nominis recti nihil docet: J 18.4 *nostro mari*, 75.6 *oppido*, 94.5 *muro*; ad quos locos accedunt illi duo quos supra memorauimus J 18.11 et 19.4, ubi Ω acc., Arusianus abl. a Sallustio adhibitum esse testatur. Quae cum ita sint, equidem existimo editores Dietschium, Iordanum aliosque recte fecisse quod Arusianum secuti sunt, propterea quod et Arusianus hos duos locos adtulit quibus casum ablatiuum comprobaret, et librarius codicis Ω, quippe cui accusatiuus notior esset, facillime induci poterat ut crederet formas traditas *Carthagine* et *Numidia* nihil aliud esse nisi *Carthaginē* et *Numidiā*.

8) J 25.10 *potiretur* Ω+Nonius (498.29 M)+Seruius (Aen. III 278)+Priscianus (III p 334 K.) : *poteretur* Arusianus (p 498 K.)

Illam formam, quam non minus quam quattuor testes tueantur, seruandam esse apparet. Neque Arusianus suam formam eo consilio adtulit, ut exemplo confirmaret uerbi *potiri* formas esse quasdam 3. coniugatione declinatas. Ceterum Sallustius iis duobus locis, quibus 3. pers. impf. coni. occurrit (J 8.1; 55.1), eadem forma *potiretur* usus est.

9) J 49.4 *conspicatur* Donatus (Eun. II 3.93) +Priscianus (II 436 K.) : *conspicitur* Ω

Cf quae p 124 adnotaui.

10) Denique locum commemoro, ubi similiter atque in 7) non

[1] Eadem causa Nitzschner (p 79) testimonium Diomedis minoris aestimat.

solum Ω a testimoniis discrepat sed etiam duo testimonia alterum ab altero discedunt: J 38.1 *quasi uitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare* Ω : *uitabundus per saltuosa loca recedebat* Diomedes (I p 430 K.) : *quasi uitabundus per tramites et saltuosa loca exercitum ductare* Seruius Gr. (Aen. X 341) — Uterque grammaticus hunc locum Iug. adtulit, ut qui esset sensus formarum in *-bundus* exeuntium denotaret. Sed de testimonio Diomedis idem ualet quod nuperrime in 7) animaduertimus. Quoniam Diomedes et paucas uoces omisit[1] et pro uerbo enuntiati a Sallustio certe usurpato aliud scripsit, iure dicimus auctoritatem eius in hac quoque re, de qua quaerimus, nihili esse. Hoc igitur testimonio sublato nobis decernendum est, utrum testimonio codicis Ω an Serui plus confidamus. Quae quaestio cum altera proxime cohaeret. Id enim generatim quaeritur, si Ω et scriptor quilibet antiquus differant, utrius auctoritatem sequamur. De hac re nunc pauca dicam.

B. Lectiones apud u n u m scriptorem antiquum traditae ab Ω dissident.

Cum has lectiones tractaturi sumus, primum nonnullas necesse erit secludere quae quo pertineant non satis constet. Namque quoniam scriptores in uerbis Sallusti adferendis a quo libro ea sumpserint non semper dicunt, fieri potest, ut illa uerba, quamuis cum loco quodam nobis noto multum congruant, tamen in Historiis domicilium habuerint, praesertim cum Sallustius easdem sententias easdemque locutiones paulum mutatas iterare amauerit. Cuius generis hi loci uidentur esse:

C 27.2 *dies noctesque festinare uigilare : diu noctuque laborare festinare* Seruius (ad Geo. I 287).

C 39.3 *animos eorum arrexit : arrexit animos militum* Diomedes (I p 451 K.) Charisius (I p 270 K.)

J 31.20 *cum regna prouinciae leges iura iudicia bella atque paces — — penes paucos erant : bella atque paces exercebant* Cledonius (V p 42 K.)

J 34.1 *quae ira fieri amat : uulgus amat fieri* Quintil. (IX 3.17).

J 37.4 *hiemalibus aquis : aquis hiemantibus* Seneca phil. (Ep. XIX 5.19).

J 93.3 *more ingeni humani cupido difficilia faciundi : amore* [*more* codd. Gell.] *humanae cupidinis ignara uisendi* Nonius

[1] Huius uitii, quo grammatici non raro laborant, infra B. alia exempla collegi.

(129.19 M.) [Et obseruandum est in codd. Gell. uerba ante-
posita *Bello Iugurthino* deesse].

Tum inter discrepantias non numerandi sunt ii loci, in quibus scriptores d e d i t a   o p e r a aut uerba quae iis non opus erat adferre omiserunt aut rarius uoces quasdam sensus causa addiderunt.

Prioris generis exempla et multa et certa sunt. Inspicias uelim hos locos. ubi uerba omissa litteris inclinatis scripsi.

C 18.8 quod ni *Catilina* maturasset (om Prisc. III p 49).
[23.3 minori *interdum* ferro (om Gellius VI 17.8; ex. dubium)]
36.2 ceterae multitudini dies statuit, *ante quam sine fraude liceret ab armis discedere,* praeter rerum capitalium condemnatis (om Arusianus VII p 499 K., locus adlatus constructionis 'praeter illis' probandae causa).
49.1 sed *iisdem temporibus Q. Catulus et C. Piso* neque pretio neque gratia impelli quiuit (om Prisc. II p 539; ex. uerbi *queo*; at codd. Sall. *Ciceronem impellere potuerunt* exhibent).
[51.1 Omnes homines, *p. c.*, qui — — (om Seruius Gr. ad Geo. II 499)]
59.6 amplius annos triginta *tribunus aut praefectus aut legatus aut praetor* cum magna gloria *in exercitu* fuerat (om Arusianus VII p 451 K; ex. constructionis 'amplius illam rem').
J 2.2 studia*que* omnia nostra *corporis alia animi naturam secuntur.* — — — *ingeni egregia facinora* sicuti anima inmortalia sunt (om Seruius Gr. ad Aen. IX 95).
6.1 hic ubi primum adoleuit *pollens uiribus decora facie sed multo maxime ingenio ualidus* non se luxu neque — — (om Diomedes I p 341 K et Macrobius V 624 K).
ibd. iaculari equitare *cursu cum aequalibus certare* et cum —— (om Macrobius V 624 K.).
11.2 postquam *illi more regio iusta magnifice fecerant* reguli in unum conuenere (om Prisc. II p 101; ex. diminutiui).
14.20 quos ego audio *maxima ope niti* ambire fatigare (om Seruius Gr. ad Aen. IV 283; ex. uerbi 'ambire').
15.5 is postquam *uidet regis* largitionem famosam impudentemque (om Non. 306.4 M).
27.2 ut *per paucos factiosos* Iugurthae scelus condonaretur (om Arus. p 461 K; ex. 'condono tibi hoc').
30.2 *ac maxime eos* potentia Scauri, *quod is auctor et socius Bestiae ferebatur,* eos (add.) a uero bonoque impediebat (om Arus. VII p 486 K.; ex. 'impedit illos illa res ab illa re').

33.1 cultu quam maxime miserabili *cum Cassio* Romam uenit (om Seruius Gr. ad Geo. I. 3; ex. uocis 'cultus').
37.4 aliaque *quae incepto usui forent* properare (om Arus. VII p 502 K; ex. 'properat illam rem').
[45.1 Fronto om uerbum *comperior* non consilio sed neglegentia (librarii?)].
49.4 cum interea (-rim Ω) Metellus *ignarus hostium* monte degrediens — — (om Donatus Eun. II 3.93).
52.5 quem elephantis — — — praefectum *ab Iugurtha* supra diximus (om Arus. VII p 499 K.; ex. 'praefectus illi').
78.2 sinus duo sunt (duo s. sinus Ω) *prope in extrema Africa* pares natura— — (om Seru. Gr. ad Aen. I 111).
82.1 melius esse ratus *cognitis Mauris quoniam is nouus hostis accesserat* ex commodo pugnam facere (om Arus. VII p 472 K.; ex. 'ex commodo').
84.3 neque illi senatus *quamquam aduersus erat* de ullo negotio abnueret (om Arus. VII p 450 K.; ex. 'abnuo de illa re tibi').
90.1 ager *autem aridus et* frugum uacuus (om Arus VII p 514 K.; ex. 'uacuus illius rei').

Id confestim apparet in omnium plurimis exemplis scriptores uerba ec consilio omisisse, ut numerum uerborum adferendorum minorem redderent.

Pauciora et incertiora sunt ea exempla, ubi aliquid additum est, sed omnibus id commune est quod uox addita e nomine proprio constat.

C 19.2 etiam tum potentia *Cn.* Pompei formidolosa erat (add. Schol. Horat. ad Carm. II 17.18).
47.1 *Antonius* paucis ante diebus (add. Probus IV p 149 K., ex. incertum).
51.29 uide p 143.
J 75.6 *Marius* ad Thalam profectus (proficiscitur Ω; add Probus IV p 150 K.).

His aliisque huius modi exemplis segregatis, in quibus discrepantia codicis Ω et scriptorum ex alia causa quam e dissimilitudine exemplarium petenda est, ad lectiones uere dispares transgrediar, quarum eas enumerabo quae commemoratione dignae mihi uidentur. (Lectiones scriptorum sinistra, dextra lectiones Ω collocatae sunt).

1. Fronto.

1) C 25.2 *psallere saltare* (p. 110 Nab.): *psallere et saltare* (cf p 130.).
2) • 31.1 *quis rebus* (Rhein. Mus. 54 p 167) : *quibus rebus.*
3) ibd. *laetitia lasciuiaq(ue)* : *laetitia atque lasciuia.* [Hauler l. q. d. adnotat fieri posse ut apud Frontonem *que* principio scriptum postea sit deletum].
4) J 7.7 *animi atque ingeni* (ibd. p 166) : *animi et ingeni.*
5) 17.5 *ac plerosque* (p 109 Nab.) : *ac* om.
6) 17.6 *quem* : *quemquam.*
7) 28.5 *artes et animi et corporis* (ibd.): prius *et* om.
8) 45.2 *aut alium* (Rh. Mus. 54 p 168): *aut quem alium.*
9) ibd. *insequerentur* : *sequerentur.*
10) ibd. *ne miles hastatus aut gregarius*: *hastatus aut* om.

2. Gellius.

1) C 33.3 *maiores uestrum* (XX 6.14) : *m. uestri.*
2) J 70.2 *is plerumque* (I 22.15) *qui plerumque* (*qui* om Γ′ [-T] m) :
3) 86.2 *ut libido cuiusque* (XVI 10.16): *ut(i) cuiusque libido.*

3. Sacerdos.

J 19.1 *ceterasque ciuitates* (VI p 470 K.): *aliasque urbes.*

4. Lactantius Placidus.

1) J 1.3 *accipere* (ad Theb. IV 150) : *eripere.*
2) 18.3 *in Africa ut putant* (ad Theb. VI 512) : *in Hispania ut Afri putant.*
3) 58.3 *frustrabantur* (ad Theb. II 594) : *frustrari.*

5. Nonius.

1) J 46.1 *Roma* (p 325.31 M) : *Romae.*
2) 46.1 *dehinc* (p 553.12) : *item.*
3) ibd. *cumque his* (p 552.27) : *et cum eis.*
4) 70.1 *et eum suspiciens* (p 400.17) : *et ipse eum s.*
5) 85.10 *trepide festinet* (p 396.25) : *trepidet festinet.*
6) 85.33 *atque aestatem* (p 322.3) : *et aestatem.*

6. Donatus.

1) C 36.4 *ducunt* (Eun. I 1.5) : *putant.*
2) J 31.14 *quos eadem odisse et eadem metuere in unum coegit* (Hec. I 2.95) : *quos omnis eadem cupere eadem odisse eadem metuere in u. c.*
3) 49.4 *interea* (Eun. II 3.93) : *interim.*
4) 85.4 *haec omnia* (Phor. I 2.80) : *omnia haec.*
5) ibd. *putaris* : *putaueris.*
6) 110.4 *uixeris* (Eun. IV 6.12) : *uiues* (*-is*).
7) ibd. *arma pecuniam* : *arma uiros pecuniam.*

7. Diomedes.

1) J 31.26 *nisi uindicatum fuerit* (I p 365 K.) : *fuerit* om.
2) 72.2 *experrectus* (p 376) : *exercitus* P N *excitus* (uide Vogel II 409).
3) 114.2 *de salute non de gloria* (p 399) : *pro salute non pro gl.*

8. Arusianus.

1) C 51.1 *consulant* (VII p 460 K.) : *consultant.*
2) ibd. *ira misericordia* (p 514) : *ira atque misericordia.*
3) ibd. *uacuum* (ibd.) : *uacuos.*
4) 52.5 *fecere* (p 499) : *fecistis.*
5) J 36.2 *principem* (p 490) : *consulem.*
6) ibd. *ludificari* (ibd.) : *-re.*
7) 40.2 *metuens pericula* (p 493) : *pericula metuentes.*
8) 73.6 *post illius negotium* (p 502) : *p. i. honorem.*
9) 85.7 *haberem* (p 460) : *habeam.*
10) 101.6 *ad Numantiam* (p 451) : *apud N.*
11) 104.5 *Bocchum* (p 476) : *Boccho.*

9. Seruius Gr.

1) C 33.4 *amittit* (Aen. I 195) : *amisit.*
2) 51.1 *animus haud facile* (Geo II 499) : *haud fac. an.*
3) 52.29 *deorum auxilia* (Geo III 456) : *aux. deorum.*
4) ibd. *comparantur* : *parantur.*
5) ibd. *uigilando laborando* : *uig. agendo bene consulendo.*
6) 59.3 *ab his omnes euocatos et centuriones* (Aen. II 157) : *ab his centuriones omnes (e)lectos et euocatos.*
7) J 38.1 uideas p 175.

sinus duo sunt (Aen. I 111) : *duo sunt sinus.*
8) 78.2 *Sulla patriciae gentis fuit* (Aen. VII 601) : *S. gentis patriciae nobilis f.*
9) 95.3 *familia iam extincta* : *f. prope iam ext.*
10) ibd. *exercere* (Aen. I 306) : *agere.*
11) 96.3 *uirtuti satis credebat* (Buc II 17) : *uirtuti suorum s. credere*
12) 106.3 *uultu et oculis* (Aen. VII 251) : *uultu corporis* (*uultu colore motu corporis* multi integri).
13) 113.3

10. Augustinus.

C 6.3 *legibus moribus agris* (Ciu. D. III 10) : *ciuibus m. a.*

11. Agroecius.

1) C 59.3 *optimum quemque* (VII p 119 K.) : *o. q. armatum.*
2) ibd. *subduxit* : *subducit.*

12. Priscianus.

1) C 49.1 *impelli quiuit* (II 539 K.) : *Ciceronem impellere potuere.*
2) 57.4 *expeditus* (III p 343) : *-tos.*
3) J 63.3 *aetatem* (II p 527) : *pueritiam.*
4) 95.2 *sed quoniam tanti uiri nos tempus admonuit* (III p 328) : *sed qu. nos tanti uiri res adm.*
5) 100.2 *Mallius* (II p 95) : *A. Manlius.*
6) 101.6 *ostentans* (II p 530) : *ostendere.*

13. Eugraphius.

1) J 10.4 *non thes. neque exercitus* (Adel. I 1.40) : *n. ex. n. thes.*
2) ibd. *sed amici* : *uerum amici.*
3) ibd. *neque pretio* : *n. auro.*

[Quae apud Eugr. sequuntur, ea sensus prorsus carent].

Non mihi in animo est de his locis ita agere, ut meliorne habenda sit lectio Ω an lectio scriptoris in unoquoque singillatim inquiram: tali aestimatione, quippe quae in opinione, non in ueritate sita sit nullus fructus capi potest. At cum necesse sit decernere utram lectionem praeferamus, iudicium ad certam rationis normam dirigere malo quam forte regi. Quare adductus constitui Ω codicem sequi — eoque magis quod mihi persuasi lectiones Ω generatim meliores esse — nisi ipsa indole lectionum clare eluceat has lectiones esse in deteriore condicione. Quod fit in ex. 1 Gelli, 1 Noni, 2 Prisciani; in

11 Arusiani iudicium meum haeret. Sed hanc legem, quam mihi probaui, in uno scriptore uiolandam censeo: dico Frontonem, cuius uerba a Sallustio sumpta in longe alia sint condicione quam ceterorum. Est enim palimpsestus Frontonis saec. VI:to scriptus, ut multis corruptelis uacare debeat, quibus codices per longum tempus multorum saeculorum iterum iterumque excripti necessitate sunt affecti. Ut ea testimonia Frontonis, quae facultas nobis est cum aliis comparandi, plurima bonitate praeualent, ita his locis, quibus testimonia Frontonis et Ω ponderanda sunt, Frontoni palmam adtribuo, nimirum exceptis ex. 6 et 9, ubi Frontonem uitiosa scriptura inquinatum esse nemo non uidet. De ex. 1 ad eam partem disputationis reicio, in qua quam rationem Sallustius in sententiis, membris, uerbis copulandis sit secutus diligentius tractabo.

PARS III

VARIAE ADNOTATIONES

CAP. I.

Quomodo Sallustius librum de coniuratione Catilinae suum nominauerit quaeritur.

Sallustium eum librum, in quo bellum cum Iugurtha Romanorum scripsit simulque quae Romani uel potius factiones eorum iis temporibus domi gererent ante oculos posuit, *bellum Iugurthinum* nominasse omnes uno ore consentiunt. Tanto maior est dissensio, quod nomen imposuerit alteri libro aetate paulo uetustiori, quo et mores, consilia, res gestae Catilinae eiusque sociorum depinguntur et quae contra ea gesserunt Cicero aliique uiri ea aetate rempublicam capessentes describuntur. Id enim quaeritur, utrum putemus Sallustium inscriptione *bellum Catilinae* an *coniuratio Catilinae* usum esse. Ut editores aliique uiri docti, qui de hac re disputauerunt, alteri alteri inscriptioni fauent, ita res eae, quas utrique ad suum titulum confirmandum protulerunt, se fere aequant. Quae omnia Maurenbrecher paucis uerbis clare et distincte comprehendit, neque postea quidquam noui accessit quod illam aequalitatem causarum turbaret.[1]

Quae cum ita sint, et superuacuaneum et inutile uideri potest hanc omnem rem iterum tractare, quae ad liquidum certe nequeat perduci; sed Catilinam et Iugurtham Sallusti edituro mihi necesse erit causas utrimque adlatas considerare et quid probabilius uideatur consequi.

Simul titulum Iugurthae in comparationem uocabo, non quod incertus sim quem titulum Sallustius uere adhibuerit, sed quia ad titulum Catilinae statuendum plurimi interesse mihi persuasi ut haec res inquiratur. Namque ipsa inscriptio *bellum Iugurthinum* non certis nititur argumentis, sed huius libri inscriptio iisdem fere condicionibus quae ad Catilinam pertinent est obnoxia. Quare haec comparatio, a ceteris qui de inscriptione Catilinae ante me dixerunt im-

---

[1] Jahresber. p 172. Cf etiam Schanz Gesch. d. röm. Litt.^{2} et Teuffel-Schwab Gesch. d. röm. Litt.^{5}.

merito neglecta, meo quidem iudicio non modo iusta est sed etiam necessitate requiritur.

Tres sunt testes nobis consulendi, quorum auctoritate usi titulos librorum statuere conemur. Primum Sallustius, tametsi ipsas inscriptiones librorum nusquam est professus, tamen passim ita locutus est, ut uerba eius indicio sint quem titulum usurpauerit. Tum in codicibus manuscriptis permultis inueniuntur et praescriptiones et subscriptiones, quae titulos contineant quaeque fieri possit ut antiquitatem redoleant. Denique multi antiqui scriptores, de quorum testimoniis in parte II disputabamus, antequam uerba Sallusti adferant, titulum eius libri praemittere solent, e quo uerba excripta sumpserunt. Subsidia igitur non desunt titulos cognoscendi, sed difficultas rei in eo sita est quod haec tria genera testimoniorum non consentiunt. Et necesse erit nos ea comparantes quid plurimum ualeat iudicemus.

1. A primo genere testimoniorum exordium faciam. De quo Schlee[1] optime disserens ostendit Sallustium et ipsum facinus Catilinae uocabulo 'coniurationis' ubique designauisse (17.1; 18.1; 19.6; 23.1, 4; 36.5; 37.1; 39.5; 40.6; 43.1; 47.1; 48.1; 56.5; 57.1), et alios uiros qui de facinore Catilinae loquuntur eodem uocabulo utentes facere. Ut Crassus (17.7), Cicero (41.5; 46.2), L. Tarquinius (48.4), senatus populi Romani (30.6) omnes 'coniurationem', non 'bellum' Catilinae nominant. Idemque Schlee recte animaduertit uocem 'belli', ubicumque in Catilina sit usurpata, ipsa sententia postulari: 26.5 *constituit* (sc. Catilina) *bellum facere et extrema omnia experiri* — 39.6 *quod modo bello usui foret* itemque 48.2; 52.24, 33; 57.1, 5 — atque semel 'bellum' ipsi 'coniurationi' opponi: 24.2 *qui* (sc. Manlius) *postea princeps fuit belli faciundi.* Neque igitur recte Woelfflin[2] dicit Sallustium dedita opera 'bellum' usurpasse, ut Ciceronem impugnaret qui de ciuili 'coniuratione' loqui amaret.

Id certissimum habeo Sallustium facinus Catilinae 'coniurationem', non 'bellum' nominasse. Cui rei conuenit quod Sallustius prooemio finito, cum ad ipsam narrationem est transgressurus (4.3), his uerbis quasi indice totius operis utitur: *igitur de Catilinae coniuratione quam uerissime potero paucis absoluam.* At, inquit Woelfflin, haec uerba ad res narrandas, non ad ipsum titulum spectant (»Sallust giebt mit diesen Worten wohl den Inhalt seiner Schrift,

[1] Jahresber. des phil. Vereins zu Berlin 1890 p 39—40.
[2] Archiv. f. lat. Lex. I p 277 sqq.

aber nicht die Fassung des Titels an»). Sed mirum, si scriptor, qui de coniuratione se scripturum dicit, huic libro 'bellum', non 'coniurationem' inscripsit. Immo uero equidem crediderim Sallustium hoc loco uocem 'coniurationis' non minus consilio usurpasse, quam in J 5.1, qui locus C 4.3 quam proxime respondeat, uoce 'belli' usus est. Verba loci Iugurthini haec sunt: *bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha rege Numidarum gessit.* — Et similitudo horum locorum, C 4 et J 5, latius patet. Utroque loco Sallustius post enuntiata, in quibus res narrandas exposuit, causas profert quibus adductus has ipsas res tractandas suscepit: C 4.4 *nam id facinus in primis ego memorabile existumo sceleris atque periculi nouitate* ~ J 5.1 *primum quia magnum et atrox uariaque uictoria fuit, dehinc quia tunc primum superbiae nobilitatis obuiam itum est.* Tum et hic et illic addit, priusquam initium narrandi faciat, se alias res proxime cohaerentes esse explanaturum: C 4.5 *de cuius hominis* (sc. Catilinae) *moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam* ~ J 5.3 *sed priusquam huiusce modi rei initium expedio, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint.* Quisquis hos locos perlegerit, non poterit dubitare, quin ii a Sallustio dedita opera pariter sint instituti. Quare ei qui in J 5.1 uerba ad titulum spectare sibi persuaserit, idem in C 4.3 factum esse negare non licebit. Et haud scio an haec tota similitudo artis praecepta redoleat, in quis id fortasse praeceptum erat, ut in ea parte libri, quae esset quasi transitus prooemii et narrationis, titulus libri claris uerbis denotaretur. Cuius rei certum iudicium silebit, donec alii huius generis libri Graecorum et Romanorum nobis noti erunt. Id uero constat, quae summa est huius disputationis, si uerbis loci Iugurthini possit comprobari titulum huius libri fuisse 'bellum', nos eodem iure posse concludere illi alteri de Catilina libro 'coniurationis' titulum inscriptum esse.

2. Proximum est, ut in testimonia codicum Sallustianorum inquiramus.

In multis codicibus Sallusti, id quod usu fit, traditae sunt aut praescriptiones aut subscriptiones aut utrumque genus, i. e. in initio et in fine Catilinae collocatus est titulus huius libri additis, ut solet, uerbis 'incipit', 'explicit'.

Id ante omnia oculos animosque offendit, quod in nullo codice extat titulus 'coniuratio'. Aut 'Bellum Catilinae' aut 'Bellum Catilinarium' aut 'Liber Catilinarius' aut tale quid codices, quorum

quidem tituli mihi innotuerint, exhibent, id quod haec tabula demonstrat:

	Praescriptiones.	Subscriptiones.
P	*C. Sallustii Crispi Bellum Catulinarium Incipit.*	C. Sallustii Crispi Bellum Catilinae Explicit. Incipit Bellum Iugurthinum.
P¹	*deest.*	Catilinarium Bellum Explicit Liber Primus Iugurtinum (Bellum *ss m 2*) Incipit ·II·
P²	*deest.*	G. Sallust Be Catil Exp.
B	G. Crispi Salustii Bellum Catilinarium Incipit.	Explicit Bellum Catilinarium. Incipit Iugurtinum.
N	Incipit Liber Historiarum Salustii.	*deest.*
K	Salustius Crispus.	Bellum Catilinae Explicit. Incipit Iugurthinum.
H	Incipit Prologus — (c. 4.3) Incipit Liber Primus.	*deest.*
M²	Crispi Sallustii Liber Catilinarius Incipit.	*deest subscr., praescr. Iug. haec est:* Crispi Salustii Liber II Iugurtinus Incipit.
T	Incipit Salustius.	Salustii Liber Primus In Catilinario Explic||t (eras. A). Incipit eiusdem ·II· in Iugurtino.
D	*deest.*	Explicit Liber Catilinarius Salustii. Incipit Liber Iugurthinus Salustii.
l	Gagii Salustii Lib Incip. I·I·	G. Salustii Crispi Bellum Catilinae Explicit. Incipit Bellum Iugurtinum.
m	Salustius.	Explicit Catilinarius. Inc. Iugurgurthinus.
s	*deest.*	Explicit Lib. I. Incipit Liber Secundus.

Quisquis hunc indicem praescriptionum subscriptionumque percensuerit, is credo mihi facile adsentietur non constare quae fuerit inscriptio libri Catilinae in Ω seruata. Neque nobis u n u m codicem quamuis bonum eligere eiusque testimonio fretis titulum statuere, id quod Woelfflin fecit. Is auctoritatem codicis P secutus — hunc enim codicem principem habuit — *Bellum Catulinae* (sic!) accipiendum censet. Sed quoniam in priore parte demonstrauimus hunc librum principatu, quem ei multi dederunt, deici debere, nulla nobis causa est, cur in hac re ei plus quam multis aliis codicibus tribuamus.

Est tamen discrimen, quod facile perspiciatur, praescriptionum et subscriptionum codicum. Iis codicibus, quos Γ' siglo complexus sum, HM²TD affinibusque classis integrorum **sm** id commune est quod in titulis 'bellum' deest, inuenitur 'liber' accedente adiectiuo 'Catilinarius'. In codicibus X stirpis PP¹P²Bl, cum quibus codex his finitimus K conspirat, 'bellum' legimus; at attributum aut adiectiuum 'Catilinarium' est aut genetiuus 'Catilinae'. Praescriptio codicum P et B eadem uerba *Bellum Catilinarium* exhibet, K nihil nisi nomen scriptoris habet, **l** hic a Γ' stat *liber* substantiuum praebens. In subscriptione idem 'bellum' in omnibus libris X iterum occurrit; at cum P et **l** soli gen. *Catilinae* exhibeant, in reliquis adi. *Catilinarium* legitur — nam compendium scripturae *Catil*, quod est in P², pro adi. habendum esse codex B demonstrat. Id igitur constat in archetypo X titulum 'bellum', in Y 'liber' scriptum fuisse.

Quo modo haec uarietas inscriptionum quae est in codicibus debet explicari? Quantum intellego, ea cum uarietate quae est apud antiquos scriptores quam proxime cohaeret. Ut eorum nonnulli 'Bellum Catilinae', alii 'Bellum Catilinarium' titulos usurpabant, ita librarii Sallusti eiusdem aetatis utraque inscriptione utebantur. Et utraque ratio inscribendi ad tempus Carolingorum, quo antiquissimi codices scribebantur, peruenit. Cui opinioni conuenit quod in uno eodemque codice, uelut in P, traditae sunt et haec et illa inscriptio. Ad idem alia res spectat quae plurimum ualere mihi uideatur. Sunt in nonnullis codicibus inscriptiones *Liber Catilinarius, Iugurthinus,* quas hoc modo uelim explicare. Ut mox infra uidebimus, Priscianus in libris Sallusti inscribendis ea ratione uulgo usus est, ut diceret: 'Sall. in Catilinario', 'Sall. in Iugurthino'; quas locutiones existimo librarios ita intellexisse ut substantiuum 'liber' subaudiri putarent. Ita exortae sunt inscriptiones codicum *Liber Catilinarius, Liber Iugurthinus.* Et tale monstrum quale est in T codice: *Liber I in Catilinario —, II in Iugurthino* haud scio an indidem fluxerit.

Quod si recte disputaui, codicum inscriptiones non modo non titulos ab ipso Sallustio adhibitos reddunt sed ne sui iuris quidem sunt:

a scriptoribus saeculorum IV—V pendent. Nihil igitur ualent ad eam rem, de qua nunc agimus, diiudicandam.

3. Superest, ut antiquos scriptores consulamus, quorum auxilio, si possit, aliquid certius eruatur.

Tribus modis antiqui scriptores hunc de Catilina librum nominant: 1) *Catilina*, 2) *Bellum Catilinae* uel *Catilinae Bellum*. 3) *Bellum Catilinarium* atque adeo *Catilinarium*.

Hunc titulum, quem extremo loco posui *(Bellum) Catilinarium* duo grammatici, *A g r o e c i u s* et *P r i s c i a n u s*, adhibuerunt. Itaque, cum constet Agroecium uno fere saeculo ante Priscianum uixisse, Woelfflin non recte docet Priscianum hoc adiectiuum 'Catilinarium' finxisse. Haec inscriptio apud Agroecium semel (VII p. 119 K.) inuenitur — tres autem alios locos Catilinae libro non nominato adtulit — Priscianus ea 45:ies usus est. Recte uero Woelfflin opinatus est hoc adiectiuum, cum scribi non posset 'in Catilinae', eo consilio formatum, ut alteri adiectiuo 'Iugurthinum' responderet. Id igitur certissimum est inscriptionem 'Bellum Catilinarium' non a Sallustio libro suo datam esse sed a grammaticis nouatam. — Si idem titulus apud Seruium semel (in Aen. XI 708) *Salustius in Catilinario* occurrit, hunc locum qui non nisi in codicibus interpolatis saec. XV reperiatur pro spurio habendum Thilonem Woelffliniumque secutus existimo: neque enim usquam Seruium hanc rationem libri inscribendi adhibuisse. Sed si idem Woelfflin dicit Seruium *in Catilina* scribere, id rei ueritati ita quidem respondet, ut Seruius paucis locis hoc genere inscriptionis utatur, plerumque 'Sallustium' nullo libro adiecto nominet. Cf quae infra sum disputaturus.

Ergo hoc titulo segregato, duo relinquuntur: *Catilina* et *Bellum Catilinae (Catilinae Bellum)*, quibus scriptores pariter fere fauisse nunc uidebimus.

Quod ut demonstrem necesse erit testimonia scriptorum iterum perscrutari.

F e s t u s uerba C 36.5 excribens haec praemittit: 'tabem — — — — apud antiquos usurpatam Sallustius quoque frequenter, ut in C a t i l i n a, cum ait'.

S e n e c a philosphus Sallustium tantummodo, non libros Sallusti nominat: 'ut ait Sallustius' bis (Ep. VI 8 (60).4, Ben. IV 1.1), 'dicit Sallustius' (Ep. XIX 5 (114).19). Ex his prior locus ad C 1.1 pertinet.

P r o b u s libros Sallusti uulgo non distinxit. Scribit enim 'quod dixit Sallustius' (Cat. quater), 'apud Sallustium' (ter Cat., ter Iug.). 'Sallustius' (ter Cat., semel Iug.). 'tale est Sallustianum' (semel Cat.), 'cum dicat Sallustius' (semel Iug.). At ter Iugurtham his modis nominat: 'in bello Iugurthino', 'in Iugurthino', 'in Iugurtha'. Quae omnia eo consilio enumeraui, ut eluceret quid esset discriminis in libris nominandis.

Q u i n t i l i a n u s, qui semel e Catilina, e Iugurtha quater uerba adtulit, his uerbis utitur: 'apud Sallustium dicta' (VIII 3.44), 'quale apud Sallustium', 'ut apud Sallustium', 'illud Sallustianum' (IX 4.77). Neque plus nos docet III 8.45, ubi legimus: 'sic Catilina apud Sallustium loquitur ut — —'. Restat locus, quem uulgo putant pro titulo 'Bellum Catilinae' testimonium dicere. Quintilianus enim (III 8.9), postquam commemorauit Isocraten et Gorgian in prooemiis longe a materia duci', haec addit: 'quos secutus uidelicet C. Sallustius i n b e l l o I u g u r t h i n o e t C a t i l i n a e nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est'. Ita Halm, Bonnell, Radermacher ediderunt, quos si sequemur nobis profitendum est e scriptoribus, quos quidem nouerimus, Quintilianum primum 'Bellum Catilinae' scripsisse. Sed animaduertas peto scripturam 'Catilinae' maxime incertam esse. Namque apparatum criticum editionis a Radermachero nouissime factae inspiciens has uarias scripturas inuenies: *Catilinae* Aq *Catilinate* B *Katilinari* P (A = Ambrosianus s. X; B = consensus codd. Bernensis s. X Bambergensis s. X Nostradamensis s. X (?); P = Parasinus s. XV; q nisi forte pro *g* [i. e. Bambergensis s. XI m. 2] falso scriptum est quid significet nescio). Nulla ratione habita scripturae, quae nihili est: *Katilinari*, duas ceteras scripturas *Catilinae* et *Catilinate* optimi codices suam quisque tuentur. Nonne igitur, quoniam utrumque genus codicum A et B ab editore Radermachero aeque aestimatur, cum *Catilinate* sensu careat, alteram scripturam *Catilinae* necessitate coacti accipere debemus? Quod ego quidem non uelim suadere, propterea quod mihi persuasi in hac lectione deprauata *Catilinate* aliam scripturam latere non contemnendam. Quid enim aliud est haec mira uox *Catilinate* nisi *Catilina* + *te*, quae terminatio adfixa e *te* (= uel e) exorta est. Ergo in exemplari B scriptum erat: $\overset{\textit{te}}{\textit{Catilina}}$, i. e. in eo codice Quintiliani, quo nullum nouimus uetustiorem, ablatiuus 'Catilina' quem *in* praepositio regebat traditus erat: *in bello Iugurthino et Catilina*. Quod cum

ita sit, quis dicere audeat Quintilianum hunc librum Sallusti 'Bellum Catilinae' appellasse?

Si *F l o r u s* inter alia bella populi Romani etiam 'Bellum Catilinae' scripsit, hoc suo iure fecit, quoniam uere erat bellum a 'seditionibus Gracchi, Apuleiana, Drusiana', quas paulo ante tractauerat, differens. Neque uero res ita se habet, id quod Woelfflin credere uidetur, ut Florus ipso titulo libri Sallustiani adductus uocabulo 'belli' usus sit, sed tamen Sallusti auctoritatem sequitur, qui coniurationem et bellum e coniuratione ortum claris uerbis distinxerit. Cf quae p 158 diximus.

F r o n t o nihil habet quod de titulis librorum nos faciat certiores.

G e l l i u s in titulis scribendis non est constans, et haec inconstantia non minus ad Iugurtham quam ad Catilinam pertinet. Si N. A. I 15.18 praetermittimus, ubi 'Sallustianum illud' ad C 5.4 spectans legitur, semel 'in Catilinae historia' (IV 15), semel 'in historia Iugurthina' (XVI 10.16), bis 'in Iugurtha' (I 22.15; IX 14.26), ter 'in Catilina' (VI 17.7; IX 12.9; XX 6.14) scribit. Accedit quartus locus Catilinae titulum perhibens, quem cum a ceteris nonnihil discrepet totum excribam (III 1.1): 'hieme iam decedente apud balneas Titias in area subcalido sole cum Fauorino philosopho ambulabamus atque ibi inter ambulandum legebatur C a t i l i n a Sallusti'. Quod testimonium, tametsi titulo 'Catilina' singulari ui uidetur fauere, tamen pluris quam cetera aestimare uereor. Utcumque haec res est, ex hac qua usus est Gellius ratione inscribendi id quam clarissime elucet antiquos non necessarium habuisse ipsos titulos diligentur reddere sed eos suo arbitrio aliquid mutare potuisse aut genus (uelut 'historia') pro parte (uelut 'bellum' uel 'coniuratio') collocantes aut huius generis uocabula omnino omittentes. [Ut consuetudinem Gelli scriptorum libros inscribendi paululum illustrem, haec addo. Saepius apud eum reperias talia qualia sunt: 'in primo annali ~ 'in primo annalium'; 'in libris Originum' ~ 'in Originibus' ~ 'in prima Originum' ~ 'in secunda Origine' (Catonis), id quod minimum est. Maior est uarietas in his exemplis: 'liber de origine uerborum et uocabulorum' ~ 'liber de origine uocabulorum' (Gaui Bassi); 'Cato in libro quem de agricultura conscripsit' (III 14.17) ~ 'Cato in libro de re rustica' (X 26.8)].

S a c e r d o s raro scriptores, libros nusquam nominat.

L a c t a n t i u s P l a c i d u s, quem uerisimile tertio post Chr. saeculo uixisse, non 'Bellum Catilinae' sed aut 'Sallustius' (bis), aut 'Sallustius in Catilina' (semel) scripsit; idem in locis Iugurthinis adferendis utraque inscribendi ratione usus est: 'Sallustius' (septies), 'Sallustius in Iugurthino' (semel).

N o n i u s eadem inconstantia qua Gellius insignitur, in Catilina et Iugurtha nominandis ternis titulis usus est: 'Catilina' (5:ies), 'Catilinae Bellum' (23:ies), 'Bellum Catilinae' (semel) ~ 'Iugurtha' (11:ies), 'Iugurthae Bellum' (20:ies), 'Iugurthinum Bellum' (6:ies). Nonius igitur primus libro Catilinae nomen 'Bellum' c e r t e indidit.

D o n a t u s 25:ies uerba Sallusti libris non nominatis adtulit, semel 'in Iugurtha' et semel 'bellum Iugurthinum' addidit.

C h a r i s i u s et *D i o m e d e s* hac quoque re similes Donati exemplum sequuntur: apud illum 'Sallustius' 13:ies, 'Catilina' semel, apud hunc 'Sallustius' 10:ies, 'Catilina' bis, 'Iugurtha' bis legitur.

A r u s i a n u s, qui in sententiis uocabulisque Sallusti adferendis est uberrimus, semper libros nominat (paucis locis nomina librorum uidentur excidisse): 'Sal. Catil.' (30:ies), 'Sal. bello Catil.' (11:ies) ~ 'Sall. Iug.' (50:ies), 'Salustius bello Iug.' (semel), 'sed hanc omnem acutae rationis distinctionem elocutio Sallustiana confundit in I u g. b e l l o (VII p 485 K.). Utrum Arusianus 'Bellum Catilinae' an 'Bellum Catilinarium' usurpauerit, compendium nominis proprii nos uetat decernere.

S e r u i u s 54 locos Sallustianos, inter Catilinam et Iugurtham aeque diuisos, adtulit neque nomina librorum addidit. Ter 'in Iugurtha', ter 'in Catilina' scripsit. Accedunt duo loci Catilinae, in quibus inscriptionem 'Bellum' adhibuit: Aen. I 6 'cuius auctoritatem Sallustius sequitur in b e l l o C a t i l i n a e' et Geo. II 499 'Sallustius item in C a t i l i n a e b e l l o ait'.

Neque apud *A u g u s t i n u m* libri nominati sunt nisi in Ep. 138.16, ubi haec leguntur: 'in libro etiam b e l l i C a t i l i n a e — idem nobilissimus historicus eorum non tacet, quando primum insueuerit' (sequitur C 11.6).

A g r o e c i u s, qui quattuor locos Sallusti omnes e Cat. sumptos excripsit, nomina librorum ter omisit, semel 'bello Catilinario' adiecit.

C l e d o n i u s et *P o m p e i u s* grammatici paucis iis locis, quos e Sallustio sumpserunt, titulos omiserunt.

P r i s c i a n i p 160 iam mentionem fecimus. Duobus locis exceptis ubi libri non sunt additi, his titulis semper utitur: 'Sallustius

in Catilinario' (44:ies), 'in Catilinario' [nomine scriptoris omisso] (semel) ~ 'Sallustius in Iugurthino' (27:ies).

Neque ea quae nunc probaui loco Suidae a Woelfflinio adlato infringuntur. Nam si Suidas de scriptore graeco Zenobio haec dicit: μετάφρασιν τῶν ἱστοριῶν Σαλουστίου τοῦ ῥωμαικοῦ ἱστορικοῦ<καὶ> τῶν καλουμένων Βελῶν, his uerbis nihil aliud comprobatur nisi Suidae (non Zenobi) temporibus 'Catilinam' et 'Iugurtham' *bella* esse nominata.

Ex his omnibus, quae nunc adtuli, copiosius fortasse quam quod necessitate postulatur, satis elucet antiquos scriptores in libris Catilina et Iugurtha inscribendis ualde inconstantes fuisse, idque non solum ita ut alii scriptores alio titulo uterentur, uerum etiam ita ut duo tresue tituli apud quosdam scriptores simul in usu essent. Et haec ipsa res nobis documento est hos scriptores id non curasse ut ipsos titulos accurate redderent, sed libros quasi liberius licentiusque nominasse, dummodo quem librum spectarent ipsa nomina certe declararent.

Tum uidimus per tria saecula titulum *Catilina* dominatum, nam demonstrasse mihi uideor *Bellum Catilinae*, quod Quintiliano (III 8.9) uulgo adiudicant, respuendum et *Catilina* legendum. Quarto demum saeculo praeter titulum *Catilina* alter increbruit: *Bellum Catilinae*, qui titulus apud uarios scriptores huius saeculi et sequentis in usu erat, parcius apud Arusianum Seruiumque, apud Gellium crebrius. Quae res eo magis offendere debet, si cogitamus iam apud Probum reperiri titulum *Bellum Iugurthinum*, posterosque scriptores si non omnes at tamen plerosque eodem titulo uti non esse ueritos. His omnibus consideratis existimo me iure dicere posse inscriptionem *Bellum Iugurthinum* id effecisse, ut inscriptio *Catilina* a principio usurpata in *Bellum Catilinae* transmutaretur, prorsus eadem uia qua constat grammaticos, ut inscriptionem *Bellum I u g u r t h i n u m* omnibus partibus imitarentur, hanc inscriptionem *Bellum Catilinae* in *Bellum C a t i l i n a r i u m* transfigurauisse.

Iam nobis demonstratum est codices Sallustianos a scriptoribus pendentes ad titulum Catilinae statuendum nullam uim habere, antiquos scriptores inter *Catilinam* et *Bellum Catilinae* uacillantes uetustiores illi, huic recentiores fauere, Sallustium de *coniuratione*, non de *bello* Catilinae loqui. Cumque comprobauerim *Bellum Catilinae* originem debere titulo 'Bellum Iugurthinum', nihil aliud restat nisi ut aut *Coniuratio Catilinae* aut *Catilina* sumamus. Huic inscriptioni resistit illique fauet quod Sallustius disertis uerbis dixit se, de uita moribusque Catilinae praefatum, c o n i u r a t i o n e m Catilinae scripturum; quod certe non scripsisset, si huic libro 'Catilina' titulum dedisset.

At quaeritur, qui fieri potuerit ut omnibus scriptoribus uera inscriptio ignota uideretur. Quae est causa, cur ueram inscriptionem neglexerint eiusque loco 'Catilina' posuerint? Credo eos hoc fecisse eadem causa adductos qua pro 'Bellum Iugurthinum' adhibuisse 'Iugurtha'. Quoniam nulla poterat existere dubitatio, qui liber titulo 'Catilina', qui liber titulo 'Iugurtha' denotaretur, pro titulis plenis breuiores et quasi compendiarias usurpabant; quamquam facile concedo me hac uia non explicasse mirum omnium scriptorum consensum titulum 'coniuratio' aspernantium.

CAP. II.

Quaestiones grammaticae.

De genere dicendi Sallusti multa a multis sunt disputata, et sescentis credo commentationibus res grammaticae uarii generis tractatae. Attamen haud pauca desidero, quae ad artem eius scribendi, quae certe multa habet insignia, pertinent. Quae omnia tractare non cogito, sed e magna copia rerum cognoscendarum duas elegi tractandas, quae penitus perspecta ad textum stabiliendum nonnihil ualere mihi uideantur.[1]

1.

De praedicati numero.

Haud raro apud Sallustium inueniuntur sententiae, in quibus licet haesitare utrum praedicati uerba in singulari an in plurali numero ponantur. Quod fit, ubicumque subiectum enuntiati e duobus uel pluribus uocabulis numeri singularis constat. Quaeritur enim, praedicatumne ad proximum uocabulum an ad omnia referatur. Tametsi codicibus tanta fides in uniuersum habenda est, ut consensum eorum secuti hic singularem, illic pluralem scribamus, tamen et propter discordiam codicum et aliam ob causam passim disceptare cogimur, utram formam accipiamus. Nam quoniam consonantes *nt* ligatura per saecula IX—XI uulgo scribebantur, formae uerborum in *at* et *ant*, *et* et *ent* specie erant simillimae; quo factum est, ut librarii formas singularis numeri in *at*, *et* desinentes pro *ant*, *ent* in exemplaribus traditis saepe scriberent, ut J 64.6 *corruperat* l, 67.1 *prohibebat* P alibi, rarius in contrariam partem peccarent, uelut C 57.1 *perfugerent* P^4 Γ's. Sed quod his saeculis peccatum est, idem a librariis priorum saeculorum procul dubio factum, praesertim cum litteraturae capitalis, uncialis, semiuncialis iis an-

[1] De traiectione Sallustiana in Erani uol. XI pp 95—106 disputaui.

sam darent eodem modo errandi. Equidem mihi persuasi codicum consensu non ita esse confidendum, ut quid sermo Sallusti postulet superuacaneum putemus inquirere. Ad quam opinionem etiam eo adducor, quod testimonia ueterum scriptorum ab Ω nonnumquam abhorrere inueni.

Ut de locis dubiis, quantum fieri potest, certe iudicemus, necesse erit usum Sallusti cognouisse iis locis, de quibus nulla est dubitatio. Neque enim uereor, si Sallustium certa consuetudine in numeris praedicatorum scribendis regi comprobetur, ad eam quasi normam locos de quibus ambigitur corrigere: consuetudini sermonis plus tribuendum puto qnam consensui codicum.

A. Ubicumque plura quam duo nomina subiecti uicibus funguntur, sermo Sallusti pluralem numerum requirit. Quamquam potest cogitari unum nomen ui et pondere cetera superare, ut uerbum ad hoc unum referatur, aut proximo tantummodo nomine uerbum dirigi, tamen apud Sallustium semper pluralis reperitur, nisi quod singularis bis occurrit in enuntiatis, quorum subiectum pluribus abstractis continetur. Nec tamen censeo hunc singularem seruandum sed in pluralem corrigendum; quod ut comprobem sententias hoc genus recensebo. Nihil probant ea exempla, in quibus proximum ante uerbum occupat nomen numeri pluralis, quoniam id pluralem uerbi elicere poterat, ut C 20.8 *omnis gratia, potentia, honos,* diuitiae *apud illos* sunt itemque 20.15; 61.9; J 64.1. Nec magni, licet pluris, aestimandum J 1.3 *ubi per socordiam* uires, *tempus, ingenium* diffluxere, cum liceat cogitari e plurali *uires* numerum uerbi pendere. Plus mihi ualet C 20.14 *en illa, illa — — libertas, praeterea* diuitiae, *decus, gloria in oculis* sita sunt, quo loco apparet forma adiectiui *sita* omnia substantiua comprehendi. Omnes uero scrupulos euellere debent hi duo loci: C 54.1 *iis* (sc. Catoni et Caesari) *genus, uetas, eloquentia prope* aequalia fuere — 58.19 *animus, aetas, uirtus uestra me* hortantur. Et hic extremus locus maximi est momenti: quamquam *uestra* attributum, quod ἀπὸ κοινοῦ adhibetur, ad proximum nomen refertur, tamen praedicatum in plurali numero ponitur. Ad idem spectant duo alii loci, qui ab iis quos nunc memoraui illi quidem paulum distant, sed in numero eorum ducendi sunt: C 12.2 *luxuria atque auaritia cum superbia* inuasere — H I 55.9 *illa quies et otium cum libertate — —* nulla sunt. In his quoque exemplis subiectum e pluribus abstractis constat, sed inter haec et

illa id est discrimen, quod substantiua in illis asyndetice, in his coniunctionibus *atque* uel *et* et praepositione *cum* copulantur. — Ergo pro certo iudicatoque habeo post tria pluraue abstracta uerba sequi in plurali posita. Nullum igitur dubium est, quin, quamuis codices consentiant singularem perhibentes, pluralis restitui debeat: C 12.1 *gloria, imperium, potentia sequeba<n>tur* — 14.3 *quos flagitium, egestas, conscius animus exagitaba<n>t,* quibus locis, quantum scio, omnes editores singularem seruarunt.

B. Ubicumque uero subiectum duobus nominibus continetur, aut singularem aut pluralem praedicati inuenimus. Et haec exempla obiter perlegenti uidetur Sallustius utrumque numerum promiscue adhibuisse; sed si quis ea diligentius inspexerit, is uidebit eum iudicio, non forte regi. Namque ipsa indoles substantiuorum ei praecepit, utrum numerum uerbi scriberet. Apud Sallustium igitur haec lex ualet: si duo nomina eundem fere sensum habent, siue notio alterius altero addito suppletur siue augetur, singularis adest (quod inprimis ad substantiua abstracta pertinet); sin autem ea sua quodque ui praedita sunt, aut pluralis aut singularis in usu est, prout uerbum ad utrumque aut ad proximum substantiuum refertur.

Haec duo nomina, quae subiectum efficiunt, copulantur:

a. coniunctione *que.*

Singularis numerus praedicati in codicibus traditur: C 9.1 *ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura* ualebat — 38.1 *homines adulescentes* — —, *quibus aetas animusque ferox* erat, ubi non duas res sed simplicem rem binis substantiuis exprimi in propatulo est. Priore loco *ius bonumque* idem fere ualet atque *iustitia* uel *modestia.* Cf locutiones eadem notione imbutas: J 8.1; 29.2 *bono honestoque* — 15.3 *bonum et aequom* — 35.7 *ex aequo bonoque* — 30.2 *a uero bonoque* — 82.2 *bonum aut honestum.* Altero loco notione addita *animus ferox* prius substantiuum *aetas* quasi explicatur.

Item codices singularem praebent: C 25.5 *multae facetiae multusque lepus* inerat — J 46.8 *in Iugurtha tantus dolus tantusque peritia locorum et militiae* erat — 75.1 *ubi plerique thesauri filiorumque eius* (sc. Iugurthae) *multus pueritiae cultus* erat. Huius singularis alia causa petenda est: nam bina substantiua non simplici sed diuersa notione esse praedita, quis non uidet? Accedit quod in primo et tertio exemplo prius substantiuum in plurali numero

est positum. Necessario igitur singularis uerbi ad proximum modo substantiuum refertur. Tum ea quaestio existit, quando Sallustius hanc structuram admiserit. Omnibus tribus locis id est commune, quod suum cuique substantiuo attributum est additum. Habemus igitur enuntiatum bimembre, in quo praedicatum ἀπὸ κοινοῦ collocatur, i. e. praedicatum in altero membro locum habet, in priore subauditur. Nihil enim discriminis est inter hos locos et ea bimembria enuntiata, ubi coniunctio copulatiua abest uelut in C 9.1 *concordia maxuma, minuma auaritia* erat, multis aliis. Ergo altera condicio singularis uerborum scribendi ea constituenda est, ut bina nomina attributis essent instructa.

Ubicumque uero hae duae condiciones absunt, pluralis uerborum recte adhibetur. Quod fit in J 73.6 *opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus* sitae erant. Neque enim *res fidesque* simplicem notionem efficiunt, sed sua quodque nomen ui insignitur, neque attributa ad substantiua sunt addita. Ceterum uia, qua necesse est pluralem e singulari exortum, non facilis est neque probabilis. Sumendum enim erat, primum *sitae* pro *sita* per dittographiam scriptum, tum hunc pluralem adiectiui pluralem uerbi *erant* creauisse.

Quod si recte disputaui, singularis, quem in libris legimus J 94.1 *uti prospectus nisusque per saxa facilius* foret, in pluralem *forent* debet corrigi: hic enim locus prorsus in eadem condicione est atque is quem nunc tractaui. — Superest C 20.2, cuius lectio magis dubia mihi uidetur. In Ω' haec leguntur: *ni uirtus fidesque uestra spectata (exspectata P) mihi* forent, cum V accedentibus P^4 et m. 2 P *foret* exhibeat, cum quibus libris Seruius ad Geo. I 260 consentit. Itaque, cum duo testes hinc, illinc unus stet, res iudicata uideri potest. At praeterquam quod — ut saepius monui — consensu talium rerum non nimium est confidendum, lex nunc cognita singulari numero non fauet; nisi forte credimus huic pari substantiuorum simplicem sensum subesse. Quod quoniam nego, pluralem archetypi Ω' retineo. Nec neutrum *spectata* offendit; namque, ut Fabri ad C 5.7 recte animaduertit, Sallustius cum substantiuis feminini generis pronomina et praedicata neutrius generis solet coniungere. Loci, quos ille l. q. d. nominauit, hi sunt: C 3.4; 5.7; 10.3; 31.1; J 38.8 41.3; 52.4; 68.1. Quamquam Fabrium uidetur fugisse, duobus sal tem locis praedicatum feminini generis scriptum esse: J 73.6 (uic supra) et C 51.12 *fama atque fortuna eorum* pares *sunt.*

b. coniunctione *atque*.

Praedicatum pluralis numeri certe traditur his locis: C 2.5 *ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia* inuasere — 23.6 *inuidia atque superbia post* fuere — 46.2 *ingens cura atque laetitia simul* occupauere — 51.2 *fama atque fortuna eorum* pares sunt — J 38.8 *nox atque praeda castrorum hostis* — — remorata sunt — 39.1 *metus atque maeror ciuitatem* inuasere — 41.3 *ea, quae res secundae amant, lasciuia atque superbia* incessere. Quoniam in his exemplis substantiua coniunctione *atque* copulata non simplicem notionem exprimunt sed unumquodque sua ui enuntiatur, pluralis praedicati legi supra obseruatae conuenit.

Item singularis praedicati legi nostrae oboedit in: C 36.5 *tanta uis morbi atque uti tabes plerosque ciuium animos* inuaserat — 39.4 *profecto magna clades atque calamitas rempublicam* oppressisset — 50.3 *dispositis praesidiis ut res atque tempus* monebat — 58.4 *scitis equidem, milites, socordia atque ignauia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem* attulerit, quibus locis simplex notio, quae binis substantiuis coniunctis quasi augetur, perspicua est. Neque aliter iudico de J 5.2 *ut studiis ciuilibus bellum atque uastitas Italiae finem* faceret (ita codices praeterquam quod *facerent* extat in integro **e**, et *n* littera in H G est superscripta), quoniam, cum 'bellum' sit causa 'uastitatis', *bellum atque uastitas* eundem sensum habet atque 'uastitas bello effecta'. Addo quod in hoc exemplo non minus quam in *C 36.5* et *58.4 atque* idem fere ualet atque 'uel potius'. Quocirca singularem, tametsi is in pluralem facillime emendatur, sine ulla dubitatione retineo. — In hunc numerum etiam refero C 25.3 *sed ei* (sc. Semproniae) *cariora semper omnia quam decus atque pudicitia* fuit. Neque necessarium iudico *fuere*, quod est in K et m. 2 H D l e, cum plerisque editoribus in textum recipere, quoniam praedicatum *fuit* substantiuis quae ante stant *decus atque pudicitia*, non ipso subiecto *omnia* dirigitur. Cf J 50.6 *sin oportunior fugae collis quam campi* fuerant (ita codd. Pe, *fuerat* rell., *campus* corr uel ss N T F), ubi haud scio an pluralis singulari praeferri debeat.

At legi resistere uidentur nonnulli loci, ubi, tametsi substantiuis copulatis simplex notio non sine ui potest uindicari, tamen singularis praedicati in omnibus codicibus est traditus: C 14.3 *quos manus atque lingua periurio aut sanguine ciuili* alebat — 21.2

tum Catilina polliceri — — — *alia omnia, quae bellum atque lubido uictorum* fert — 51.42 *uirtus atque sapientia maior illis* fuit — J 18.1 *Gaetuli et Libyes* — — —. *quis cibus* erat *caro ferina atque humi pabulum uti pecoribus* — 39.5 *cognitis militibus, quos praeter fugam soluto imperio licentia atque lasciuia* corruperat. Si C 21.2 et 51.42 excipimus, reliquis locis uerba in *-at* exeunt. Quoniam fines *-at* et *-ant* facillime permutantur, pluralis ubique scribi debet? Equidem hoc non suadeam: id nos uetant duo illi loci C 21.2 et 51.42, ubi de falsa scriptura uix potest cogitari. Quamquam concedo me iustam causam non inuenire, cur haec duo praedicata in singulari ponantur; nisi forte existimamus menti Sallusti similitudinem notionum magis quam diuersitatem esse obuersatam. In reliquis autem exemplis credo singularem defendi posse: J 18.1 ante copulam *erat* praecedit ipsum praedicatum *cibus*, quo numerum uerbi dirigi apparet; tum C 14.3 singularem praeter consensum codicum Sallusti etiam testimonium Augustini ciu. D. III 2 tuetur. Neque deest ratio, qua fretus singularem retineam. Reuera haec sententia e duobus membris constat, id quod aduerbiis quae sequuntur *periurio aut sanguine ciuili* demonstratur, quorum prius ad subiectum *lingua*, alterum ad subiectum *manus* pertinet. Iure igitur praedicatum in singulari ponitur: neque enim sensus huius enuntiati quidquam mutatur, si ita scribimus: *quos lingua periurio aut manus sanguine ciuili alebat.* Et in sententiis huius structurae numerus praedicati semper est singularis, cuius rei documento sunt exempla C 20.16; 37.5; 38.4; 57.1; J 6.3; 7.6; 17.1; 31.19, alia. Superest J 39.5, ubi singularem in pluralem *corrupera<n>t* corrigo, exemplum secutus certorum locorum quos p 170 adtuli; et inprimis C 23.6 huic loco, ut ouum ouo, est simillimus. Eadem causa adductus C 28.4, quo loco codices in duas partes discedunt, pluralem, quem plerique libri exhibent, recipio scribens: *ex Sullanis coloniis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui* fecerant [*fecerat* PP¹B (*n* ss)].

c. coniunctione *et*.

Non opus est omnes sententias enumerare, in quibus duo homines communi praedicato definiantur; satis sit memorasse Sallustium ubique pluralem scripsisse. Sed pauca uerba addam de numero praedicati earum sententiarum, quarum subiectum substantiua copulata *senatus* et *populus Romanus* efficiunt. Ut sermo Sal-

lusti exemplis adhuc probatus pluralem uerbi postulat, ita hic numerus bis legitur: J 41.2 *populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam* tractabant — 111.1 *senatum et populum Romanum, quoniam armis amplius* ualuissent, *non in gratiam* habituros; semel praeter opinionem singularis occurrit J 104.5 *senatus et populus Romanus benefici et iniuriae* memor esse solet. Quod cum ita sit, suspicio facile animum subit, falsane sit haec lectio et emendatione egeat. Et quisquis animaduerterit non solum codices qui supersunt uerum etiam ipsum archetypum Ω haplographiae mendis saepius laborare, is non poterit dubitare, quin Sallustius scripserit: *memor<es>esse sole<n>t.*

Ad eas sententias transgrediar, quae subiectum e rebus constans habeant, ut quis sit usus Sallusti cognoscam.

Singularis uerborum in his exemplis legitur: C 52.6 *libertas et anima nostra in dubio* est — 52.26 *ne ista uobis mansuetudo et misericordia — — in miseriam* conuortat — J 7.7 *huc* accedebat *munificentia animi et ingeni sollertia* — 15.3 *quibus bonum et aequom diuitiis* carius erat — 35.4 *quod eorum alium conscientia alium mala fama et timor* impediebat — 50.6 *nostros asperitas et insolentia loci* retinebat — 64.1 *tamen* inerat *contemptor animus et superbia* — H III 48.18 absit *periculum et labos, quibus nulla pars fructus est.*

Pluralem adnotaui his locis: J 18.6 *mare magnum et ignara lingua commercio* prohibebant — 52.4 *plerosque uelocitas et regio ignara* tutata sunt — 68.1 *ubi ira et aegritudo* permixta sunt — 85.43 *luxuria et ignauia, pessimae artes, illis — nihil* officiunt — H I 77.13 *nunc pax et concordia* disturbantur *palam,* defenduntur *occulte.*

In his quoque exemplis utruisque generis lex illa, quam supra cognouimus, plerumque ualet.

Iis quinque locis, qui pluralem perhibent, bina substantiua notione distingui non mihi opus est fusius explicare. Id modo animaduerto necesse non esse J 85.43 pluralem uerbi cum appositione *pessimae artes* coniungamus.

At quaeritur, exemplane alterius generis legi seruiant. Simplicem notionem abstracta J 15.3 *bonum et aequom* efficere p 168 iam docui. Neque quisquam, credo, negauerit eandem esse rem in J 50.6 et 64.1, quibus duobus locis altero substantiuo notio prioris explicetur uel illustretur. De C 52.26, cuius substantiuis *mansuetudo* et *misericordia* similem sensum subesse elucet, uideas quae Woelfflin optime disseruit pag. 42 disputationis Schnorri de Carolsfeld, quae inscribitur 'Über Reden und Briefe bei Sallust'. In hoc numero etiam duco J 35.4, namque *mala fama et timor* scriptum esse pro 'timor malae famae' et ipse sensus totius sententiae declarat et structura enuntiatorum ostendit, cum prioris enuntiati subiecto simplici *conscientia* subiectum bimembre *mala fama et timor* alterius enuntiati respondeat. Contra J 7.7 singularis uerbi ex illa altera causa quam nominaui est petenda, i. e. quoniam subiectum in duo membra diuisum est, praedicatum ad proximum membrum potest referri. — Sed legi resistunt C 52.6 et H III 48.18. Quod ad locum Hist. attinet, forma pronominis *quibus* documento est substantiua *periculum* et *labos* non simplicem notionem exprimere, quare sensui magis conuenit pluralem uerbi *absint* restituere. Et locus Catilinarius meo quidem iudicio debet corrigi. Tametsi primo obtutu facinus temerarium uideri potest *sunt* pro *est* scribere, tamen considerantibus ST (= est), quae scriptura post uocales locum habebat, et S͡T (= sunt), quae abbreuiatio in manuscriptis saec. VIII sqq. passim occurrit quaeque ante hoc tempus procul dubio in usu erat, minimum differre concedendum erit correcturam esse facillimam. Quare cum pluralis sermone quoque commendetur, *sunt* in textum recipio.

2.

De asyndeto.

1. Sallustium in uocabulis, membris, sententiis copulandis asyndeton plurimum amasse plus semel est adnotatum; nec tamen quantum scio, adhuc demonstratum eum asyndeto non nisi certis condicionibus usum. Et quoniam ad textum stabiliendum haud parui interest hunc usum cognouisse, de asyndeto nonnulla adnotabo.

Quod priusquam faciam, de periodis Sallustianis pauca praemittere erit necessarium.

Sallustius periodos arte effinxit: eas in duo, tria, plura membra plerumque distinxit; in ipsis membris concinnam responsionem saepenumero adhibuit; praeterea alia ornamenta orationis haud raro addidit: anaphoram, epiphoram, paronomasiam, homoteleuton, alia quae sunt insignia orationis Gorgianae. Vide imprimis Zanderum, Eurythmia p 265 sqq. Exempla omnium hoc genus ornamentorum

mentorum multa collegi, sed ne disputatio longius euagetur, satis habeo artem Sallusti paucis locis electis illustrare.

Periodorum bimembrium exempla praeclarissima extant in Catilinae prooemio et capite 54, ubi mores Catonis et Caesaris comparantur; in quibus capitibus isocolon, parison, antitheton saepius inuenias. Trimembres periodi numero superant, uulgo ita structae, ut tertium membrum spatii sit maioris nec raro in duo membra uel partes diuidatur. Fit etiam, ut unumquodque membrum bi- aut trimembre sit, ubi uocabula sibi concinne respondeant; cuius generis periodi in Jugurtha praecipue sunt uulgares. Accedit in Iugurtha magna multitudo periodorum, quae e pluribus membris constent: aut primum aut postremum membrum reliqua solet complecti. Liceat mihi pauca dare exempla.

C 7.5 *igitur talibus uiris*
non *labor insolitus,*
non *locus ullus asper aut arduus erat,*
non *armatus hostis formidolosus.*

9.4 *uindicatum est in eos,*
qui *contra imperium in hostem pugnau*erant,
qui*que tardius reuocati proelio excess*erant,
quam qui *signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi*
erant.

25.4 28.4, alia.

J 43.3 *igitur diffidens ueteri exercitui*
milites scribere;
praesidia undique arcessere;
arma, tela, equos et cetera instrumenta militiae parare.

46.5; 47.3; 49.6; 51.3; 52.5; 54.1, alia.

31.23 *domini illi uolunt, uos liberi esse;*
facere illi iniurias, uos prohibere;
postremo sociis nostris pro hostibus, hostibus pro sociis utuntur.

30.3 *at C. Memmius inter dubitationem et moras senatus*
contionibus populum ad uindicandum hortari,
monere *ne libertatem suam desererent,*
multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere:
prorsus intentus omni modo plebis animum incendebat.

36.2 *at contra Iugurtha*
trahere *omnia,* et *alias deinde alias morae causas*
facere;
polliceri *deditionem,* ac *deinde metum* simulare;
cedere *instanti,* et *paulo post ne sui diffiderent*
instare:
ita belli modo, modo pacis mora consulem ludificare.

44.1, 5; 45.2; 49.4; 51.1, 5; 54.6; alia.

Id igitur constat Sallustium periodos in membra dispositas finxisse, neque ullum inueni discrimen orationum partiumque res gestas narrantium[1].

2. His praemissis ad eam rem quam mihi proposui tractandam transgrediar.

A. De asyndeto orationis bimembris.

Nomine orationis bimembris complector non solum periodos, enuntiata, membra in duas partes diuisa, uerum etiam simplicis enuntiati partes orationis quae e duobus uocabulis copulatis constant, siue ea subiecti uel praedicati, siue attributi uel aduerbii uicibus funguntur.

Sallustium in periodis enuntiatisque bimembribus uel asyndeto uel particula copulatiua addita membra coniunxisse non opus est exemplis confirmare. At in partibus orationis bimembribus perspicuum est discrimen: si eae in membro quodam collocantur periodi in duo pluraue membra asyndeto distinctae, asyndeton admittit neque id rarius quam copulationem particulis effectam adhibet; sin uero eae partes in simplici sententia locum habent, asyndeton respuit et particulis copulatiuis *atque, et, que* semper utitur, si modo hae orationis partes e simplicibus uocabulis constant.

[1] Contra clausulae rythmicae apud eum omnino uidentur abesse. Certe in finibus periodorum longa uocabula collocare amabat, neque uocabula clausulam hexametri efficientia aspernabatur, ut in C 12.4 *eripiebant,* 20.10 *consenuerunt,* 29.1 *exagitabam,* 53.2 *sustinuisset;* J 24.3 *auxiliantur,* 25.1 *subueniendum,* 28.1 *aggrediantur,* 41.5 *dilacerata,* 43.1 *inuiolata,* alibi. Atque adeo huic clausulae fauebat: in finibus membrorum et sententiarum duo uocabula in dactylum et trochaeum exeuntia sescenties fere collocabat. Pauca ex. capitum 1—20 Cat. adferam: 1.1 *oboedientia finxit,* 3.3 *aduorsa fuere,* 4.4 *periculi nouitate,* 5.2 *grata fuere,* 6.1 *liberum atque solutum,* 8.1 *re dominatur,* 2 *magnificaeque fuere,* 3 *maxumis celebrantur,* 10.1 *terraeque patebant — omnia coepit,* 2 *miseriaeque fuere,* 12.4 *gloria decorabant,* 13.2 *habere licebat. — per turpitudinem properabant,* 14.7 *fama ualebat,* 18.4 *mores stimulabant,* 19.2 *esse uolebat,* 20.2 *res cecidisset.*

Haec lex multis exemplis comprobatur, neque dubito paucos locos qui eam impugnant corrigere.

Primum ea exempla dabo, quae sunt in membris periodorum membratim dispositarum.

Certum est asyndeton his locis:

C 11.6 *ibi primum insueuit exercitus populi Romani*
a m a r e, p o t a r e;
signa, tabulas pictas, uasa caelata mirari;
ea priuatim et publice rapere;
delubra spoliare;
sacra profanaque omnia polluere.

20.7 *nam postquam resp. in paucorum potentium ius atque dicionem concessit,*
semper illis r e g e s, t e t r a r c h a e *uectigales esse;*
p o p u l i, n a t i o n e s *stipendia pendere;*
ceteri omnes — — —.

20.12 t r a h u n t, u e x a n t — 39.2 i n n o x i i, f l o r e n t e s — 42.2 f e s t i n a n d o, a g i t a n d o — 43.4 *natura* f e r o x, u e h e m e n s — 51.9 *enumerauere : rapi* u i r g i n e s, p u e r o s; *diuelli liberos a parentum complexu; matres familiarum pati quae* — —; *fana atque domos spoliari;* c a e d e m, i n c e n d i a *fieri; postremo* — —.

J 17.5 *mare* s a e u o m, i n p o r t u o s u m; *ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus caelo terraque penuria aquarum [saeuom et perperam H].*

20.2 a c e r, b e l l i c o s u s — 20.8 u r b i s, a g r o s — 44.1 i n e r s, i n b e l l i s — 62.1 c a p t o s, o c c i s o s — 85.41 a m e n t, p o t e n t (cf C 11.6) — 99.3 s t r e p i t u, c l a m o r e — t u m u l t u, f o r m i d i n e — 105.4 t e m p t a r e, i n t e n d e r e.

Particulis copulatiuis duo membra periodorum hoc genus coniunguntur: C 11.6 *priuatim et publice* (uide supra) — 51.9 *fana atque domos* (uide supra) — J 14.25 *liberos atque parentes* — 31.19 *damna atque dedecora* — 44.1 *praedator et ipse praeda* — *sine imperio et modestia* — 50.4 *sinistra ac dextra* — *adesse atque instare* — 53.8 *edocent atque audiunt* — 54.1 *laudat atque agit gratias* — 57.1 *armis uirisque* — 66.2 *seditosum atque discordiosum* — *quieti et otio* — 97.5 *equites peditesque* — itemque 62.5; 70.2; 85.33; 101.11.

Incertum est asyndeton J 14.11, 17 *patria domo*, non quo asyndeton legi praedictae resistat — immo uero id est legitimum — sed

quia *patria* non minus adiectiuum quam substantiuum potest esse. Quamquam Fabri, Schmalz (»formalhaftes Asyndeton»), alii substantiuum his locis sumendum esse existimant, tamen locutio *patrio regno*, quae in § 6 et 23 eiusdem capitis occurrit, me suadet ut hanc rem in medio relinquam.

Tum dissensio, quae est inter codices Sallusti et Frontonem, duos locos C 25.2 reddit incertos. Haec enim in codd. Sall. leguntur: *haec mulier genere atque forma; praeterea uiro atque liberis satis fortunata fuit; litteris graecis* e t (a t q u e KGHγs) *latinis docta; psallere* e t *saltare* (*cantare* X) *elegantius* — —; *multa alia quae* —. Fronto autem utroque loco particulam omisit. Quamquam scriptura codicum non minus quam Frontonis ad usum Sallusti quadrat, tamen alia causa adductus Frontonem sequor. (Cf quae supra p 129 disputaui). De priore parte huius loci p 182 agam.

At in enuntiatis simplicibus, quae in membra non sunt disposita, quaecumque sunt partes orationis bimembres, eae uinculo particularum contrahuntur. Ne longus sim in exemplis, quae sunt permulta, enumerandis, usus Sallusti cognoscendi cupidos ad disputationem Boekmanni De particulis copulatiuis apud C. Sallustium Crispum [Progr. Gothoburgi 1887] reicio, cuius omnium plurima exempla in p 11 sqq. collecta huc pertinent.

Sunt uero loci, quibus, si libris fides est habenda, Sallustius particulam omiserit. At et perpauci sunt, et facillime corriguntur. Nam constat particulas *et*, *que* indiligentia librariorum persaepe excidisse. Quod in Sallustio transcribendo factum esse multi loci multorum codicum satis demonstrant. Inspicias peto: C 53.2 *domi militiae* l: *domi militiaeque* — J 35.5 *itinera egressus* K : *it. egressusque* — 42.1 *Ti. C. Gracchus* K : *Ti. et C. Gracchus* — 53.5 *instructi intenti* l : *instructi intentique* — 67.1 *incerti ignari* l : *incerti ignarique* — 86.1 *armis aliis utilibus* γ' : *a. aliisque ut.* — 87.4 *laxius licentius* (*que* add. al. m.) P^1 : *lax. licentiusque.* His omnibus locis particulas copulatiuas, cum in Ω' certe extiterint, esse retinendas nemo credo infitias ibit. Nec dubium esse debet, quin J 94.1 cum libris X snm sit legendum *paratis compositisque*, licet in PYl *que* absit, propterea quod *omnibus* subsequitur. Existimo enim in exemplari, e quo Ω archetypus est transcriptus, fuisse COMPOSITISQOMNIB. et librarium Ω ob similitudinem litterarum Q et O illam omisisse[1]. Quod exemplum nos simul docet, qua uia hae particulae, de quibus agitur

[1] Quomodo in libris Xsnm *que* postea sit restitutum, hic non quaero.

excidere potuerint. Ac similiter de J 85.7 iudico, cum sumo *et* haplographiam in P¹Y esse omissum. Nam quod in VXTls legimus *labores et pericula*, id certe in Ω extabat, et similitudo syllabarum *et et* effecit, ut particula excideret.

Neque ea discordia librorum, qua in alteris libris altera particula est tradita, induci debemus, ut particulam omnino tollamus. Dispares particulae his 5 locis Iugurthinis leguntur:

J 9.2 *senatui et populo Romano* VPBKHγ'ls : *sen. populoque R.* rell

14.11 *scelere et superbia* V : *scelere atque superbia* Ω'

14.15 *maerore atque luctu* V : *maerore et luctu* Ω'

94.2 *ascendens descendensque* XNKM²l : *asc. et descendens* Y snm

95.3 *graecis et latinis* PB : *graecis atque latinis* rell

Non ego negauerim, si nihil aliud nisi testimonia codicum respiciamus, iustam causam nobis esse, cur asyndeton Sallustio uindicemus. Quid enim magis est consentaneum nisi quod hanc dissensionem librorum ex asyndeto archetypi Ω aut alius libri tempore longius recedentis petere conamur? At cuicuimodi putamus hanc dissensionem exortam, certe particula sermone Sallusti requiritur. Utra uero particula sit seruanda, ex ipso pretio librorum pendet, de qua re in priore parte satis dictum est. — In hunc numerum etiam refero C 7.4, qui locus in plerisque libris hoc modo est traditus: *iam primum iuuentus, simulac belli patiens erat, in castris* p e r l a b o r e m u s u *militiam discebat.* Variae lectiones sunt: *per laborem usu militiae (usum militiam* m. 2*)* P *per laborem et usu militiam* H *per laborem usum militiae* T. Et eandem fere esse uarietatem lectionum in libris Vegeti iam p 125 animaduerti. Utra scriptura: *usu militiam* an *usum militiae* in archetypo fuerit, si litteraturae modo rationem habemus, dicere non licet: ita altera ab altera facile exorta esse potest. Sed lectio P, qui simul cum ablatiuo *usu* genetiuum *militiae* seruauit, nobis suadet ut putemus *usu* formam haplographiae litterae *m* — nam uocabulum quod sequitur ab hac littera incipit — deberi. Quae opinio sermone Sallusti quam grauissime confirmatur. Namque tale asyndeton, quale est *per laborem usu* hic non est tolerandum. Aut igitur recipienda est scriptura libri H *et* inserentis, aut *usum militiae* scribi debet. Illam lectionem, quae speciem correcturae euidenter prae se ferat, reicio; hanc accipio, non quod eam T seruauerit, id quod casu factum apparet, sed quia sermone postulatur.

Item libri P²B soli, comitante m. 2 P¹, sinceram scripturam habent C 10.2 *otium diuitiaeque*, cum in omnibus reliquis *que* falsa sit omissum. Neque enim asyndeton ullo modo potest defendi. Alia erit res, si cum P¹ ea quae sequuntur scribemus: *optanda alia*; tum sententia fit trimembris: *otium, diuitiae, optanda alia*. At haec scriptura ea re infirmatur, quod Sallustius, ubicumque ad duo triaue membra nouum addit, in quo est adiectiuum *alius*, hoc adiectiuum primo loco postremi membri ponit; ordo igitur uerborum hic debuit esse: *alia optanda*. Ceterum tale membrum prioribus adnectere solet insertis particulis *et* uel *atque*. Cf imprimis J 64.1 *uirtus, gloria atque alia optanda*. Itaque lectione codicis P¹ repudiata, libros Pl sequor scribens *optanda alias;* nam tertia lectio a reliquis libris tradita *optandae aliis* notae est deterioris. Restat ut explicemus, qua causa particula *que* exciderit. Nimirum causa eadem est, quam in J 94.1 nuperrime diximus: librarius Ω in uocabulis DIVITIAEQOPTANDA transcribendis similitudine litterarum Q et O adductus errauit.

Denique ad eos paucos locos peruenio, in quibus consensu codicum particula copulatiua contra uulgarem usum a Sallustio erat omissa:

1. C 11.5 *loca* a m o e n a u o l u p t a r i a *facile in otio ferocis militum animos molliuerant.*

2. C 16.3 *si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontis sicuti sontis* c i r c u m u e n i r e i u g u l a r e.

3. J 101.9 *at Iugurtha — — circumuentus ab equitibus* d e x t r a s i n i s t r a *omnibus occisis solus inter tela hostium uitabundus erumpit.*

His tribus locis coniunctiones sunt inserendae: primo *atque*, altero *et*, tertio *que*. Et ne quis credat me arbitrio duci in particulis addendis, satis est textum archetypi, quem librarius Ω prae se habebat, excribere: 1. AMOENAATQVOLVPTARIA 2. IREETIVGVLARE 3. SINISTRAQOMNIB.

Nec defendendum est asyndeton:

4. J 27.4 *consules declarati* P. S c i p i o N a s i c a, L. B e s t i a C a l p u r n i u s sed *et* addendum, quoniam Sallustius nomina duorum hominum et singula et bina ternaque particulis *et* plerumque, rarissime *atque* coniungit. Cuius usus e multis exemplis haec dabo: C 17.1 *L. Caesare et C. Figulo consulibus*, 18.2 *L. Tullo et M'. Lepido consulibus*, 38.1 *Cn. Pompeio et M. Crasso consulibus* (quibus locis et aliis similibus Dietsch contra codicum auctoritatem

¹ Praeterea particulam additam tuetur C 36.4 *otium atque diuitiae*.

iniuria seclusit), 24.1 *consules declarantur M. Tullius et C. Antonius*, 33.2 *Cethego atque Lentulo*, 47.1 *Gabinio et Caepario*, 53.1 *M. Cato et C. Caesar* — J 5.4 *C. Graccho et M. Fuluio Flacco*, 43.1 *Metellus et Silanus consules designati.*

Sed uehementer dubito, utrum cum libris Sallusti asyndeton scribamus an Nonio auctore *et* adiciamus in C 11.3 *auaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupiuit; ea quasi uenenis malis imbuta corpus animumque uirilem effeminat, semper* infinita <et> insatiabilis *est, neque copia neque inopia minuitur.*

Procul dubio periodus est bimembris, quare asyndeton fit tolerabile; sed tutius esse credo *et* apud Nonium traditum restituere.

Ad extremum pauca uerba faciam de C 20.2 spes magna dominatio *in manibus frustra fuissent.* Ex iis quae nunc disputaui elucet, si attributum *magna* afuisset, asyndeton tollendum fuisse; sin substantiua suo quodque attributo ornata essent, asyndeton legitimum futurum fuisse. At quaeritur, quid de eo bimembri iudicemus, quod e duobus substantiuis accedente uno tantummodo attributo constet. Quoniam similia exempla prorsus desunt, lectionem traditam corrigere non audeo, eoque minus quod adiectiuum *magna* ἀπὸ κοινοῦ usurpatum mihi uidetur. Cf C 11.4 *rapere omnes trahere*, J 66.1 *parare omnia festinare.*[1]

B. De asyndeto trium pluriumue membrorum non opus est multa dicere. Siue membra e singulis uocabulis siue e pluribus constant, siue ea sunt periodorum in membra dispositarum siue simplicis sententiae, asyndeton potest adhiberi. Videas ex. c. C 6.2 *dispari genere, dissimili lingua, alius alio more uiuentes* — 11.6 *signa, tabulas pictas, uasa caelata* — 51.25 *tempus, dies, fortuna* — J 1.4 *uires, tempus, ingenia* — 2.3 *animus incorruptus, aeternus, rector humani generis* — 14.10 *sanguine, ferro, fuga*; 15 *affinis, amicos, propinquos ceteros*; 20 *niti, ambire, fatigare* — 41.5; 46.3; 60.2; 65.3; 85.1, 3, 10, 38; 108.2; 111.1; HI 23. Nimirum plurima exempla in orationibus inueniuntur.

Nec tamen particulae copulatiuae desunt neque in orationibus neque in ceteris partibus. Exempla, quae adferam, in disputatione Boekmanni p 5 sqq. sunt collecta.

[1] Sedulo omisi J 66.3 *postea milites palantes inermos — — aggrediuntur*, propterea quod *milites palantes* simplicem efficiunt notionem, cuius est attributum *inermos*.

Secundum tertiumque membrum particulis copulantur in J 14.7 *rex genere, fama* atque *copiis potens* 14.11, 17; 85.45 — J 18.4 *Medi, Persae* et *Armeni* 14.11; 95.3 — C 6.5 *libertatem, patriam parentis*que, J 77.3 *Bestia, Albino Metello*que; C 10.4 *fidem, probitatem ceteras*que *artes bonas*, multis similibus quae collegit Boekman p 7 ima. Item *praeterea, postremo*, alia aduerbia pro particulis copulatiuis in postremo membro passim collocantur: J 4.5 *Q. Maxumum, P. Scipionem*, praeterea *ciuitatis nostrae praeclaros uiros*, 57.5; 60.6, 111.2 — J 16.3 *fama, fide*, postremo *omnibus suis rebus*, 31.12, 20; 46.5; 110.4.

Rarissime primum alterumque membrum particulis copulantur. Quod fit in J 3.1 *magistratus* et *imperia*, postremo *omnis cura rerum publicarum* — J 49.4 *commonefacere beneficii sui* et *eum ipsum aliis ostentare*, postremo — — — *excitare*. Quod cum ita sit, lectionem Ω codici V praefero J 85.15 *labori* [*et* V] *innocentiae, periculis etiam meis*.

Tria membra particulis *atque — et* in Iug. et Hist. certe ter coniunguntur: J 53.5 *itinere* atque *opere castrorum* et *proelio fessi* — HI 55.3 *Brutorum* atque *Aemiliorum* et *Lutatiorum proles* — I 77.19 *uos* atque *coniuges* et *liberos*. Ad haec tria quartum ex. addo: J 85.10 *hominem ueteris prosapiae* ac (om V) *multarum imaginum* et *nullius stipendi*. At quinto loco J 76.6 *aurum* atque *argentum* et *alia quae* — — bimembrem sententiam potius constituo, quoniam *aurum atque argentum* unum faciunt membrum ut in J 13.6 *auro et argento*. — Neque aliter se habet res in J 89.4 *non moenibus modo* et *armis* atque *uiris*, ubi *arma atque uiri* intime cohaerent; cf J 92.7 *uirorum atque armorum*; J 57.1, 62.8 *armis uirisque*. — Item bimembris, non trimembris sententia sumenda est, ubicumque *que et* tria uocabula copulantur. Exempla in Cat. desunt; haec tradita sunt in Iug.: 1.3 *pollens potens*que et *clarus*; 23.1 *uineis turribus*que et *machinis*; 43.4 *socii nomen*que *latinum* et *reges*; 62.1; 8; 66.3; 71.3; 78.3; 80.1; 81.2; 94.3 et in Hist.: II 47.3 *deos penates meos patriam*que et *summum imperium*; II 47.8; 98.1 — Contra trimembres sententiae uidentur esse C 48.4 *Lentulus* et *Cethegus alii* que; J 5.1; 84.2 — C 32.2 *Cethego* atque *Lentulo ceteris*que; J 48.3.

Si quattuor uel plura uocabula aggerantur, oratio bimembris uel trimembris uulgo fit. In postremo membro aduerbia *praeterea, postremo, denique, adhoc*, alia saepe accedunt. In bimembri ora-

tione bina membra particulis coniungi solent: C 52.20 *sociorum* atque *ciuium*, *praeterea armorum* atque *equorum*; J 7.4 *multo labore multa*que *cura*, *praeterea modestissime parendo* et *saepe obuiam eundo periculis*; 35.5 *itinera egressus*que *eius*, *postremo loca* atque *tempora cuncta*. Cf etiam C 51.33 *domum* aut *uillam*, *postremo uas* aut *uestimentum*. Quae exempla documento sunt C 25.2 scripturam in Ω et apud Priscianum traditam: *haec mulier genere* atque *forma*, *praeterea uiro* atque *liberis satis fortunata fuit* esse anteponendam ei quae praeter Frontonem extat in libris P¹n: *praeterea uiro liberis*. Nam constat in membro, quod a *praeterea* exordiatur, si in duas partes diuidatur, particulam copulatiuam desiderari. Quam particulam posse omitti in membris, quae *praeterea* praecedant, comprobatur ex. c. C 58.2 *diuitias*, *decus*, *gloriam*, *praeterea libertatem* atque *patriam*; J 2.2 *praeclara facies*, *magnae diuitiae*, *adhoc uis corporis* et *alia omnia huiuscemodi*. — Trimembris autem oratio est in: C 12.12 *pudorem*, *pudicitiam*, *diuina atque humana*; 20.7 *strenui*, *boni*, *nobiles atque ignobiles*; 51.1, 9; 52.3, 13; 59.5; 61.9; J 2.2; 31.9; 34.1; 35.5.

Index rerum Sallustianarum.

Index locorum Sallustianorum, de quorum scriptura est disputatum.

Accedit Quintil. III 8,9, de quo loco p 161 disputaui.